DE GIGANTOMACHIAE

IN POESEOS ARTISQVE MONVMENTIS

VSV

DISSERTATIO PHILOLOGA AD RITE OBTINENDOS SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES SCRIPTA AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITA QVAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DEFENDET DIE X MENSIS MARTII A. CIƆIƆCCCLXXXIII HORA X

FRIDERICVS KOEPP

BIBVRCENSIS

ADVERSARII ERVNT

ALFREDVS GERCKE

AVGVSTVS KALKMANN

ROBERTVS MVENZEL

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI VNIVERS. TYPOGR.

CIƆIƆCCCLXXXIII

HERMANNO VSENER

PER QVINQVE LVSTRA

PHILOSOPHIAE DOCTORI

PIETATIS CAVSSA

I

Artis quae Attalorum aetate Pergami floruit notitia fuit cum duobus ueterum scriptorum locis fere tota contineretur. quorum alter erat Plinii in naturali historia, ubi artificum qui ʻAttali et Eumenis aduersus Gallos proeliaʼ arte celebrassent nomina prodidit memoriae (XXXIV 84); alter Pausaniae, qui ubi arcem Athenarum describit de dono Mineruae Atheniensi ab Attalo rege dedicato haec tradit (I xxv 2): πρὸς δὲ τῷ τείχει τῷ νοτίῳ Γιγάντων, οἳ περὶ Θρᾴκην ποτὲ καὶ τὸν ἰσθμὸν τῆς Παλλήνης ᾤκησαν, τούτων τὸν λεγόμενον πόλεμον καὶ μάχην πρὸς Ἀμαζόνας Ἀθηναίων καὶ τὸ Μαραθῶνι πρὸς Μήδους ἔργον καὶ Γαλατῶν τὴν ἐν Μυσίᾳ φθορὰν ἀνέθηκεν Ἄτταλος, ὅσον τε δύο πηχῶν ἕκαστον.

Hunc locum pro grauitate sua saepissime tractatum rursus in medium profero, non quo utrum de statuis cogitandum sit necne denuo disceptem — huius enim dubitationis et disputationis post praeclarum Henrici Brunn inuentum et egregiam Adolfi Michaelis de extremis Pausaniae uerbis commentationem (*Mittheilungen des arch. Inst.* II 1877 p. 5—15) nullum iam locum esse arbitror [1] —, sed ut de rebus ipsis quas ab artificibus repraesentari rex iusserat quaeram.

Quattuor erant statuarum syntagmata [2]. ac primum quidem — nam Pausaniae ordinem seruare non possumus — habes Gallorum cladem, scilicet famosam illam uictoriam quam de Gallis et de Antiocho Seleuci regis fratre Attalus secundo uel tertio anno postquam ad summam in ciuitate Pergamenorum potestatem peruenit adeptus est [3]. haec grauissima fuit ac pulcherrima pugnarum illarum quas Plinius ab Isigono Phyromacho Stratonico Antigono factas esse tradit; hac enim regnum, quod satis tenue ab Eumene patre acceperat, ad tantam auctoritatem et potentiam Attalus prouexit, ut nomine regio iam dignus esse uideretur. qui quod Athenis quoque huius uictoriae testimonium

magnificum exstare uoluit, quid mirum? etiamtum in urbem illam omnium undique erat concursus, ita ut uix ullo modo celerius rerum gestarum gloria ad extremos orbis terrarum fines perferri posset quam monumentis ibi quasi in omnium conspectu expositis. etiamtum uigebat gloriae Atheniensium memoria, quam litteris non minus quam bellis adepti erant, ita ut ab Atheniensibus, a primo uidelicet orbis populo, laudari in primis optandum uideretur nouorum illorum, quae post mortuum Alexandrum M. orta erant, regnorum conditoribus. ac proni erant in adulationem illius aetatis Athenienses maiorum animi et contemptus barbarorum prorsus obliti, itaque non frustra exterarum ciuitatum principes uanum populum coluerunt eique blanditi sunt; nam si dabant multa, plura reddebantur, optimeque suae ipsorum gloriae consulebant cum gloriae Atheniensium uidebantur esse studiosi[1]. sed suae tantum gloriae studuisse Attalum cum donum illud magnificum Athenas mitteret neque confirmari potest neque uerisimile est. immo ipsam illam quam celebrauit uictoriam dedicationis caussam fuisse putauerim, ita ut uotum solueret et gratias referret deae cuius auxilio uictoriam debere sibi uidebatur: Mineruae monumenta illa dedicauerat aenea quae ante ipsius deae templum quod erat in arce Pergamena collocauerat (uide titulum inuent. II 94: *Vorläufiger Bericht* II p. 46 cf. Bohn ibid. p. 38 sq.). quis autem orbis terrarum locus praeter ipsam Pergamenorum arcem dignior poterat uideri quo donum Mineruae uotum poneretur quam Athenarum arx, celeberrima illa atque antiquissima deae sedes?

Sed illud, de quo dixi, Atheniensium studium tamen caussa fuit, ut cladi Gallorum adderet pugnam Marathoniam. certe uictoriae suae gloriam augebat, cum eam componeret cum nobilissima illa Atheniensium uictoria, in qua laudanda multi fuerant plus duorum saeculorum poetae rerum scriptores oratores. neque deerat quo similes uiderentur pugna Marathonia et Pergamena; utraque enim barbarorum ingens multitudo ab exigua Graecorum manu — nam Pergameni quoque Graeci esse sibi uidebantur — summa fortitudine praeter opinionem ab ipsis penatibus propulsa et fugata erat. sed grauius mihi uidetur fuisse quod Athenienses nulla re magis delectabantur quam uictoriae illius laude, quam sine aliorum nisi Plataeensium auxilio adepti erant, neque ullam ex maiorum rebus gestis saepius

iactabant; itaque hac pugna celebrata Attalus acceptissimum se fore Atheniensibus sperabat summaque gratia dignum.

Cum his hominum pugnis deorum heroumque proelia, Amazonomachiam quae dicitur et Gigantomachiam, temere et sine significatione tectiore illa quidem nobis, sed illorum temporum hominibus satis aperta composita esse nemo, ut spero, contendet aut suspicabitur. hanc autem quaestionem minime soluit si quis tribus doni partibus Atheniensium, una Gallorum clade Attali gloriam celebrari putat [5]; nec tanta modestia Attalum fuisse uerisimile est. quod si suam uictoriam cum Atheniensium gloria, utramque cum fabulosae antiquitatis uictoria rex componere uoluit, satis erat tria statuarum syntagmata dedicare; quattuor cum sint, fieri non potest quin bina componenda esse censeamus. nec dubium esse potest quin cum pugna Marathonia Amazonomachia, Gigantomachia cum Gallorum clade artius cohaereat et consulto coniungatur.

Marathoniam enim pugnam et Amazonomachiam Thesei saepius ab Atheniensibus uidemus compositas. nam Atheniensium res publica bellis Persicis feliciter gestis cum ad summam auctoritatem et splendorem peruenisset, quid mirum quod maiorum quoque gloriae consuluerunt, quorum memoriam obscuriorem esse uidebant quam pro praesente urbis gloria? tum Thesei memoriam Atheniensium poetae certatim exornabant, neque ulla heroum illa aetate facta esse credebatur expeditio cui non admiscerent Theseum; tum multi erant in Thesei filiorum laude, quorum apud Homerum nulla exstabat commemoratio; tum pugna illa cum Amazonibus ad ipsam arcem commissa laudibus efferebatur et arte celebrabatur eo magis quod uictoriae recentissimae, quam de Persis reportauerant, quasi exemplum atque imago esse uidebatur; nam et nuper et olim barbarae gentis uastae copiae ex Asia in ipsam Graeciam Atticamque irruentes Atheniensium fortitudine ab ipsis penatibus propulsae erant (cf. Kluegmann, *die Amazonen in der attischen Literatur und Kunst* p. 4). quae autem alia ex omnibus belli Persici pugnis similior uideri debebat quam pugna Marathonia, cuius memoria Atheniensibus erat carissima? Troicum quoque bellum ut belli Persici exemplum quamuis minus simile celebrabant; nam haec quoque Graecorum de barbaris Asiaticis fuit uictoria.

Haec fuit cogitatio qua commotus Cimo aut quisquis

Atheniensium porticum a Pisianacte aedificatam pictura curauit ornandam cum pugna Marathonia Amazonomachiam et Iliupersin quae dicuntur a Polygnoto eiusque sociis coniungi iussit. hae enim sunt quae tunc perfectae erant picturae, quibus — si ulla Pausaniae uerbis fides habenda est — longum porticus parietem ornatum fuisse constat. quarta quae a Pausania commemoratur pictura pugnae apud Oenoam commissae postea addita in altero breuium parietum uidetur fuisse. sed in uno exemplo non opus est acquiescamus. uide orationem qua Athenienses ante pugnam Plataeensem teste Herodoto (IX 27) demonstrabant, se Tegeatis esse nobiliores principatuque digniores; ubi post auxilium Heraclidis latum, post meritum de Polynicis sociis et Amazonum clades in Atticam irruentium et Troianum bellum et pugna Marathonia commemorantur, scilicet ea superiorum temporum facinora quibus summa Atheniensium gloria uidebatur contineri. uide orationes funebres quae Athenis publice aut habitae sunt aut habitae esse simulantur. et in oratione quam ad nostram usque aetatem Lysiae falso tribuerunt (§ 3 sqq.) et in oratione funebri Menexeni Platonici (p. 239 sqq.) cum ceteris quae in oratione Herodotea uidimus Atheniensium meritis Amazonomachia et pugna Marathonia laudantur; nec deest earundem uictoriarum laudatio in ea quae Demosthenis nomen ementitur oratione (§ 6 sqq.), inuenitur non uno Isocratis loco cum aliarum orationum tum Panegyrici, inter quem et orationem pseudo-Lysianam cognationem intercedere constat quae non sola hac rerum similitudine continetur (Paneg. § 68 sqq. cf. Panathen. 189 sqq. Areopag. 75. Archid. 42). sed quid singula affero testimonia? pro multis esse potest locus Aristotelis (art. rhet. II 22, p. 1396ª 12), quo laudationem negatur cogitari posse nisi propositis maiorum rebus gestis: λέγω δ' οἷον πῶς ἂν δυναίμεθα . . . ἐπαινεῖν εἰ μὴ ἔχοιμεν τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν ἢ τὴν ἐν Μαραθῶνι μάχην ἢ τὰ ὑπὲρ Ἡρακλειδῶν πραχθέντα ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων; ἐκ γὰρ τῶν ὑπαρχόντων ἢ δοκούντων ὑπάρχειν καλῶν ἐπαινοῦσι πάντες. quem locum non satis reputauerunt secum qui de Panegyrici Isocratei et orationis funebris pseudo-Lysianae similitudine scripserunt. in eis autem quae praeterit philosophus uerbis ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων imprimis est Amazonum clades. quamobrem Arrianus loco notissimo (Exped. Alex. VII 13, 6) cum alia de Amazonibus tum haec dicit:

καὶ Ἡροδότῳ πολλάκις περὶ τῶν γυναικῶν τούτων πεποίηται, καὶ ὅσοι Ἀθηναίων τοὺς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας λόγῳ ἐκόσμησαν, καὶ τοῦ πρὸς Ἀμαζόνας ἔργου Ἀθηναίων ἐν τοῖς μάλιστα μνήμην ἐποιήσαντο. Pericles apud Thucydidem (II 36) maiorum res gestas praeterit his uerbis: ὧν ἐγὼ τὰ μὲν κατὰ πολέμους ἔργα, οἷς ἕκαστα ἐκτήθη, ἢ εἴ τι αὐτοὶ ἢ οἱ πατέρες ἡμῶν βάρβαρον ἢ Ἕλληνα [πόλεμον iure del. Classen] ἐπιόντα προθύμως ἠμυνάμεθα, μακρηγορεῖν ἐν εἰδόσιν οὐ βουλόμενος ἐάσω.

His testimoniis perpensis dubium esse non potest quin pugnam Marathoniam, quam summam maiorum gloriam esse putabant, cum Amazonomachia Athenienses composuerint ut haec heroum uictoria illius mortalium uictoriae exemplum atque imago uideretur. eodem consilio Attalus rex pugnas ab artificibus componi iussit, ut eodem quo ipsi modo Atheniensium gloriam celebraret.

Quae si recte disputauimus iam dubium esse non potest quin quo consilio Amazonomachia cum pugna Atheniensium eodem Gigantomachia cum Gallorum clade composita sit, uidelicet mortalis regis uictoria gloriosa et deorum regis uictoria antiquitus a poetis cum epicis tum lyricis celebrata. fortasse simillimas has, quas non dubias tibi uideri spero, comparationes esse putas; sed noli neglegere, quae intercedant inter utramque discrimina. Illius testimonia satis antiqua protulimus, huius nulla ipsis Attali temporibus antiquiora inueniuntur. nam quod nonnulli eiusmodi testimonium esse putabunt metoparum quas uocant Parthenonis Atheniensis nullum est. in fronte templi ad orientem uersa Gigantas fictos fuisse potius quam esse exiguis sed satis certis uestigiis Adolfus Michaelis demonstrauit (*Parthenon* p. 142 sqq.). itaque si in metopis ad occidentem uersis Persae cum Graecis ficti essent dimicantes eadem de qua agimus pugnarum compositio statuenda foret: at Amazonas uideo non Persas; Adolfo Michaelis (l. c. p. 148 sqq.) assentior, non Eugenio Petersen (*die Kunst des Pheidias* p. 233 sqq.). nec deest quod iis quae ille attulit addam argumentum certe non superuacaneum; nam duobus tantum argumentis sententiam suam comprobare potuit uir doctissimus, quorum alterum satis infirmum uidetur esse, alterum si solum esset non eo rem perduceret ut dubitari non posset[6]. nec mirum uidetur, si has metopas animum

aduerteris omnium pessime habitas esse temporum iniquitate, ita ut singula uix discerni possint: peltam in metopa X, quam primus uidere sibi uisus est Cockerell, non satis manifestam esse ipse Michaelis concessit, in metopa autem XIV Amazona a uiro uinci e longis capillis apparere contendit. tamen sententiam hoc uno argumento nisam addubitare potuit Petersen, cui adsentitur Kluegmann (*die Amazonen* p. 56 n. 94); neque ego posse dubitari de argumento illo negauerim. at patrum uictoriam, seu pugnam Marathoniam seu Plataeensem seu certae alicuius pugnae ratione non habita cladem Persarum, artificem Atheniensem ullius aetatis, nedum eius de qua cogitandum est, nedum Phidiam ipsum ita celebrasse putas ut Graecos plerumque uictos faceret et sub Medorum equis prostratos? nam cum perpauca in operibus tam foede laesis discerni possint, hoc certissimum est, in quattuor ex sex metoparum numero equitem uictorem esse, aduersarium humi iacere; atqui eques Persa esset, pedes Graecus. nimirum gaudebant Athenienses cum patres suos uictos ac prostratos uiderent in fronte templi quod uictoriarum illarum quas de Medis reportauerant monumentum esse uoluerant! — at spatium, inquies, quod sub equo uacabat implere uoluit artifex, cum Persas equites faceret quoniam in equitibus illorum uires erant! uide pugnam reuera Persarum et Graecorum quam sub tecto templi Mineruae Victoriae finxit artifex aetatis paullo inferioris: hic quoque non semel homo sub equo iacet, sed barbarus mortuus, non Graecus uictus (u. Ross, *der Tempel der Nike Apteros* t. XII [o] = *Anc. Marbles* IX t. VII cf. Ross a); ne autem illic quoque figuras illas iacentes barbaros esse putes prohiberis, ut spero, eo quod Persas istos hoc modo aduersariis omnino priuares, nam metopae proximae figuras nisi semel fortasse non oppositas fuisse equitibus sed inter se dimicasse apparet. sine aduersario autem semel esse potuit eques — ut est fortasse primae metopae ille, nam cum eo coniungendos esse duos metopae sequentis pedites mihi non magis placet quam Eugenio Petersen — semel, inquam, sine aduersario eques fingi potuit quasi accurrens in pugnam, pluriens non potuit. at, respondes, unius metopae spatio aliam figuram aduersarii quam iacentem collocare non potuit. Persas igitur equites facere non debuit: cur non omnes pedites facere potuit, ut fecit nonnullos? praesertim cum eius pugnae quam, si

fecisset Persarum cladem, maxime in animo habiturum fuisse artificem uerisimile est, pugnae Marathoniae, equites Persarum omnino participes non fuerunt. ceterum ubi tandem artifex Graecus se spatii angustiis, non sibi spatii angustias subiunxit? nonne obstantibus eiusmodi difficultatibus quid arte possent pulcherrime ostenderunt? — iam relegaui te ad aediculam Mineruae Victoriae: inde discimus, quemadmodum illorum temporum artifices Persarum clades arte celebrauerint; neque alio modo poterant. unum restat quod mihi opponere posset si quis contrariam sententiam defenderet: num Amazonas uincentes facere artificem par fuit? nonne idem quod in Persas in has quoque cadit? at temporis fabulosi erant, cuius pugnas potius ita fingere poterat artifex ut artem solam spectaret. quid? cum complures Athenienses a mulieribus fortissimis uictos ac prostratos faceret, nonne Thesei figura, qui quin uictor medium locum occupauerit in Amazonomachia Atheniensi uix dubium esse potest — mediae autem metopae (sextam dico septimamque et octauam) perierunt aut quasi periere —, nonne Theseus uictor eo magis eminebat clariusque splendebat? nonne unius herois illius praesentia, cuius imprimis uictarum Amazonum erat gloria, quasi pignus esse poterat euentus? Persas si plerosque uictores uidebant, suam ipsorum cladem uidebant Athenienses; Amazonum pugna, cum exitus dubius esse non posset, quo grauior erat, eo maior uictoriae laus uidebatur esse. Amazonum igitur c l a d e, non Persarum u i c t o r i a Athenienses Mineruae aedem exornasse, ut ipse persuasum habeo ita me persuasisse spero [7].

Ad Attali donum reuertor, quo primo cum Gigantomachia hominum uictoriam coniunctam esse iam contendere licet; nam ne poetae quidem temporum superiorum — omnes qui ad Gigantas spectant locos, quantum potui, collegi aut ab aliis collectos pertractaui — huiusmodi comparationem admiserunt: in hac enim re ex iis quae praesto sunt de iis quoque quae interierunt coniecturam capere non audacius uidetur esse, quoniam ratio in promptu est cur superioris aetatis Graeci hac comparatione non usi sint: obstabat ipsa religio quominus hac comparatione uterentur. qui si hostes suos cum Gigantibus comparassent, se ipsos dis exaequassent. quod superbiae atque impietatis esse putabant, quamquam cum Theseo eiusque

sociis se ipsos aut patres suos, cum deis illos componere ne antiquis quidem temporibus dubitabant. cuius rei testimonia in promptu sunt. Attali autem aetate aut Alexandri Magni cur ab hac comparatione abhorrerent, cum reges non solum comparare cum dis sed etiam pro dis habere et adorare solerent? itaque cum neque in litterarum neque in artis monumentis eiusdem comparationis exemplum inueniatur Alexandri aetate antiquius — nam de Attali aetate hoc dici uetat Callimachus —, eo magis operae pretium mihi uidebatur esse, posterioris aetatis cum artis opera tum litteras perlustrare. nam comparationis illius Attalicis monumentis significatae neque antea neque postea exstitisse exemplum eo minus credibile erat quod huiusmodi sententiae non ab artificibus inueniri solent sed a poetis, neque eas usurpare possunt artifices nisi satis notas et familiares hominibus, si opera sua intellegi uolunt sine docta interpretatione: nimirum significare potius quam exponere artis est. quo autem casu factum esse putaremus, ut rei quam Attali aetate poetis in usu fuisse uerisimillimum esset nullum apud inferiorum temporum poetas, Romanos potissimum, qui Graecos illos imitati sunt, superesset testimonium? nec spes fefellit. nam quamuis pauca tamen certissima nonnulla apud poetas comparationis illius inueni exempla, quae proponere mihi liceat.

II

Omnium longe antiquissimus est Callimachi locus, — quem primum proferam, quamquam in ceteris non seruaturus sum temporum ordinem —, hymni in Delum insulam u. 171 sqq.: ex alia in aliam terram errans locum quaesierat Latona, ubi partum ederet; nullum inuenerat; nulla enim terra, nulla insula irae Iunonis resistere audebat. iam Coon in insulam uenerat, cum ab ipso quem in utero gestabat Apolline inde quoque pellitur: nam hac in insula ex fato alius deus nascetur aliquando, aliam Apollini fatum destinauit (u. 165 sq.):

ἀλλά οἱ ἐκ μοιρέων τις ὀφειλόμενος θεὸς ἄλλος
ἐστί, σαωτήρων ὕπατον γένος κ. τ. λ.

Ptolemaeus Philadelphus Soteris f. est quem hoc modo adulatur poeta[1]; hunc iam laudat ore Apollinis, qui post alia haec canit:

καί νύ ποτε ξυνός τις ἐλεύσεται ἄμμιν ἄεθλος
ὕστερον, ὁππότ᾽ ἂν οἱ μὲν ἐφ᾽ Ἑλλήνεσσι μάχαιραν
βαρβαρικὴν καὶ Κελτὸν ἀναστήσαντες Ἄρηα
ὀψίγονοι Τιτῆνες ἀφ᾽ ἑσπέρου ἐσχατόωντος
ῥώσωνται νιφάδεσσιν ἐοικότες ἢ ἰσάριθμοι
τείρεσιν, ἡνίκα πλεῖστα κατ᾽ ἠέρα βουκολέονται κ. τ. λ.

quo iure Ptolemaeus Apollinis in uincendis Gallis socius appellari potuerit, docet scholion; ὀψίγονοι Τιτῆνες Galli appellantur duorum deorum — scilicet Apollinis et Philadelphi — hostes communes (Τιτῆνες διὰ τὸ ἐπιχείρημα schol. u. 174), qui Brenno duce post alia scelera commissa ipsum Apollinis quod Delphis erat templum auri cupiditate incitati adoriri ausi (cf. u. 180 sqq.) ab ipso deo sororibusque sociis fugati ac paene exstincti sunt; ex innumera multitudine pauci in Aegyptum transmissi, cum iam regis thesauros ut antea dei aedem expilare et diripere in animo haberent, a Ptolemaeo Nili aquis submersi aut, id quod uerisimilius est, in insula fluminis fami et morti dediti sunt. at de Gigantibus quaestionem instituimus, non de Titanibus; nec deerunt qui mirentur de illis pollicitum testi-

monia de his me afferre. at notum est iam superiorum temporum poetas pro Titanibus Gigantum nomen usurpasse, saepius Titanum nomen pro Gigantibus, ut inferioris aetatis scriptores haec nomina semper confundebant. pro multis testimoniis est locus Euripidius Hecubae u. 466 sqq. Kirchh.:

. . . ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
τᾶς καλλιδίφρου Ἀθα-
ναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
ζεύξομαι ἆρα πώλους ἐν
δαιδαλέαισι ποικίλλουσ'
ἀνθοκρόκοισι πήναις,
ἢ Τιτάνων γενεὰν
τὰν Ζεὺς ἀμφιπύρῳ
κοιμίζει φλογμῷ Κρονίδας;

nam in peplo panathenaico Mineruae Poliadis Gigantum cum dis proelia picta fuisse cum alia testimonia docent[2], tum Titanum pugnam artifices graeci omnino non cognosse uidentur, certe non repraesentarunt, cuius rei rationem nondum uideo quae certa sit. nec fugit scholiastam, pro Gigantum nomine Titanas poetam posuisse. immo ipse ille haec nomina saepius confundi docet et, id quod nobis grauissimum est, exemplo affirmat ipsius Callimachi; dicit enim haec: ἀντὶ τοῦ γιγάντων. ὑποσυγχέουσι δὲ τὴν ἐν ἑκατέροις διαφοράν. καὶ Καλλίμαχος 'ᾗχι πάλους ἐβάλοντο, διεκρίναντο δὲ τιμὰς Πρῶτα γιγαντείου δαίμονες ἐκ πολέμου' (fragm. 465 Schneid.). nam Gigantum bellum pro Titanum bello hic positum esse apparet. idem ille Callimachus alio loco, ut Euripides aliique fecerant, pro Gigantum nomine Titanas ponere potuit. potuit ponere, ac posuit. nam intellegis loco illo de quo agimus hymni in Delum de Titanibus Apollinem loqui non posse. an antiquos illos deos et mundi dominos ab nouo deorum genere pulsos cum Gallis in Graeciam irruentibus comparari posse censes? minime uero. at possunt Gigantes, qui immani ferocia impetum fecerunt in deorum sedes, ut barbarorum illorum greges in urbes Graecorum. ceterum belli contra Titanas particeps Apollo omnino non fuit. itaque ab hac quidem parte stat testimonium meum. sed alia de caussa idem non locupletissimum esse concesserim: in ipsum deum impetum fecerunt Galli, ab ipso Apolline uicti sunt ac fugati; hanc solam ob caussam cum Gigantibus eos compa-

rari dicet quispiam. neque ego haberem quo hanc opinionem refellerem, quamuis eam non probem. ad alia igitur progrediamur testimonia, quibus perpensis de Callimacheo quoque loco mecum sentiet si quis antea dubitauerit.

Ad Claudiani testimonium cum transeo non tam audax est transitus quam uidetur. pleraque enim ab Alexandrinis quos uocamus poetis didicit magnorum poetarum Romanorum extremus ille, si omnium extremum fuisse Venantio Fortunato non inuidemus. — Totam panegyrici de sexto consulatu Honorii Augusti praefationem interest proponere (c. XXVII):

Omnia quae sensu uoluuntur uota diurno,
  Pectore sopito reddit amica quies.
Venator defessa toro cum membra reponit,
  Mens tamen ad siluas et sua lustra redit.
Iudicibus lites, aurigae somnia currus,
  Vanaque nocturnis meta cauetur equis.
Furto gaudet amans, permutat nauita merces
  Et uigili elapsas quaerit auarus opes.
Blandaque largitur frustra sitientibus aegris
  Irriguus gelido pocula fonte sopor.
Me quoque Musarum studium sub nocte silenti
  Artibus assuetis sollicitare solet.
Namque poli media stellantis in arce uidebar
  Ante pedes summi carmina ferre Iouis.
Utque fauet somnus, plaudebant numina dictis
  Et circumfusi sacra corona chori.
Enceladus mihi carmen erat uinctusque Typhoeus:
  Hic subit Inarimen, hunc grauis Aetna domat.
Quam laetum post bella Iouem susceperit aether,
  Phlegraeae referens praemia militiae.
Additur ecce fides, nec me mea lusit imago,
  Irrita nec falsum somnia misit ebur.
En princeps, en orbis apex aequatus Olympo.
  En quales memini, turba uerenda, deos.
Fingere nil maius potuit sopor altaque uati
  Conuentum caelo praebuit aula parem.

En Gigantum clades, addere potuit, *quam ante alterius huius Iouis sedem carmine celebrem.* nam quod proposuimus carmen cum praefatio sit panegyrici qui plurimus est in noui illius Iouis de Alarico Getarum rege triumpho et post uictoriam in urbem reditu, quis est qui non intellegat poetae consilium? quod carmen ante Iouem Olympicum canere per somnum sibi uisus

est, idem nunc Ioui praesenti offert. ante illum Enceladi et Typhonis clades laudatur,

> Cumque Gigantei memorantur proelia belli
> Credibile est laetum laudibus esse suis [3];

huic Geticae uictoriae laus placebit, quasi noui deorum de Gigantibus triumphi. itaque si unquam mortalium hostes cum Gigantibus a dis immortalibus uictis ac prostratis comparantur, id certe fit hoc carmine. nec opus erat, poetam in ipso panegyrico hunc praefationis sensum in memoriam reuocare. at reuocauit; ita ut ipsius poetae uerbis edoceri possint si qui assensum cohibeant. uide quibus Eridanus fluuius Alaricum fugientem compellat v. 184 sqq.:

> o cunctis Erebi dignissime poenis,
> Tune Giganteis urbem tentare deorum
> Aggressus furiis?

sed de hoc quidem Claudiani loco satis, ut spero, dictum est; erunt fortasse in quibus pluribus uerbis opus sit ad demonstrandam eam de qua quaestionem instituimus comparationem.

Temporum me rationem non habiturum esse praefatus sum. a Claudiano igitur ad Ouidium transeamus, cuius duo uel tres quos proferam locos habeo. unus est Tristium libri II u. 67 sqq.: bonae in Caesarem uoluntatis suae satis multa in carminibus exstare testimonia affirmat poeta iram Augusti placare omni modo conatus. tum pergit:

> Non tua carminibus maior fit gloria. nec quo,
> Vt maior fiat, crescere possit habet.
> Fama Ioui superest. tamen hunc sua facta referri
> Et se materiam carminis esse iuuat,
> Cumque Gigantei memorantur proelia belli,
> Credibile est laetum laudibus esse suis.
> Te celebrant alii quanto decet ore, tuasque
> Ingenio laudes uberiore canunt.
> Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum,
> Sic capitur minimo turis honore deus.

simillimus est alter Ouidii locus eiusdem libri u. 331 sqq.: poeta, quem praeter errorem, de quo tacendum fuit, carmina quae de amore condiderat perdiderunt, se eiusmodi carmina composuisse nec potius antiquorum heroum bella aut Romanorum ipsiusque Caesaris res gestas celebrasse ingenii tenuitate excusat u. 317—30; tum pergit:

Forsan — et hoc dubitem — numeris leuioribus aptus
  Sim satis, in paruos sufficiamque modos:
At si me iubeas domitos Iouis igne Gigantas
  Dicere, conantem debilitabit onus.
Diuitis ingenii est immania Caesaris acta
  Condere, materia ne superetur opus.
Et tamen ausus eram. sed detrectare uidebar
  Quodque nefas, damno uiribus esse tuis.

Priore loco Augustum cum Ioue componi nemo negabit. iisdem uerbis Caesaris res gestas cum Gigantomachia comparari dubium esse potest, si quis omnia in dubium uocandi cupidus est. sed Claudiani loco modo tractato nonne simillimus est locus Nasonis? Iuppiter gaudet carminibus quibus Gigantum clades celebratur, tu quoque gaudebis, siquis res a te gestas 'quanto decet ore' celebrabit: nimirum quod Ioui Gigantum clades, idem tibi hostium tuorum interitus. sed uide alterum locum: uereor ne uno uerbo addito rem minus perspicuam reddam quam erit ei qui uersus illos legerit. quid enim opus est interpretatione? uix me contineo quin audaciora coniciam: nonne prorsus idem uidetur esse 'domitos Iouis igne Gigantas dicere' et 'immania Caesaris acta condere'? nulla est hoc loco, quae res comparatas coniungere solet, particula. fallorne an plus habemus his uersibus quam comparationem? temporis illius poetas Augusti triumphos non solum cum Iouis uictoria illa composuisse sed hanc canentes illos celebrasse, ex hoc loco colligere ausus sim; id quod infra aliis argumentis ad aliquam ueri speciem me perducturum esse spero. nunc illud quidem mitto, contentus, si consulto utroque loco Augusti uictorias cum Iouis Gigantomachia poetam composuisse tibi probaui. nec mirum, hac quoque in re cum Ioue Caesarem comparari a Nasone, cum eorundem una quaeque fere pagina clamitet comparationem, eorum praesertim carminum quae relegatus ex Ponto misit quaeque non sine caussa uilissimae adulationis crimen poetae attulerunt. quamobrem non alienum uidetur a disputatione nostra grauissimos quosque locos selectos proponere, ex quibus appareat, tantum non necessario, cum de imperatoris rebus gestis loqueretur, Iouis victoris mentionem facere debuisse poetam, quippe qui Augusti commemorationem nusquam non cum regis deorum memoria coniungeret. hunc autem qui Nasoni pro fortuna frequentissimus est usum ne a ceteris quidem illius

aetatis poetis nec ab inferioribus alienum fuisse aut uidebimus aut uidimus. nec dubitari potest quin hos quoque dicendi flores, ut pleraque, Romanorum poetae a Graecis traditos acceperint, ab iis potissimum qui Alexandriae et Antiochiae in ceterisque quae post Alexandrum effloruerunt regum aulis multi fuerunt in principum rebus gestis celebrandis — nullius rei illis quidem potioribus quam adulandi magistris. Naso igitur Augustum non solum pluribus uerbis cum Ioue comparat sed etiam aperte Iouem appellat; quibus locis etsi non ignoro comparationem aliquam subesse quamuis breuem, tamen optime illustratur, quousque progressa sit adulandi audacia deorum neglegens *.

Sic Tristium libri I elegiae I u. 81 sq.:

Me quoque, quae sensi, fateor Iouis arma timere,
Me reor infesto, cum tonat, igne peti.

nam, ut dicit u. 72, '*Venit in hoc illa fulmen ab arce caput*', confiteturque poeta (u. 74) '*timeo qui nocuere deos*' — sed qui alius generis sunt locos praeripio. nunc de Ioue agimus. uide uerba quibus poeta tempestatibus huc illuc cum naue iactatus deos maris adit Tristium I 4, 25 sq.:

Parcite caerulei uos saltem numina ponti,
Infestumque mihi sit satis esse Iouem.

Simili modo caeruleorum illorum numinum principi Augustum ut Iouem opponit duobus locis, quibus se ipsum cum Vlixe comparat

Tr. I 5, 77 sq. . . . Cumque minor Ioue sit tumidis qui regnat in undis,
Illum Neptuni, me Iouis ira premit.

ibid. III 11, 61 sq. Crede mihi, si sit nobis collatus Vlixes,
Neptuni minor est, quam Iouis ira fuit.

eleganter III 1, 35 librum quem Romam misit per urbem ignotam ambulantem et singula mirantem ante Palatii portas facit quaerentem:

'Et Iouis haec' dixi 'domus est?' quod ut esse putarem,
Augurium menti querna corona dabat.

tum pergens:

Cuius ut accepi dominum, 'Non fallimur', inquam,
'Et magni uerum est hanc Iouis esse domum'.

---

* Liuiam Iunonem appellat ex Ponto III 1, 145.

sic III 5, 7 sq. fidum aliquem amicum laudat his uerbis

Ausus es igne Iouis percussum tangere corpus
  Et deploratae limen adire domus.

item saeuis Iouis ignibus ictum se ipsum appellat libri IV elegiae III u. 69 sq., ubi postquam de Euadna Capanei uxore de Phaëthontis sororibus de Cadmo Semelae patre locutus est uxori haec dicit:

Nec tibi, quod saeuis ego sum Iouis ignibus ictus,
  Purpureus molli fiat in ore rubor.

nec non ʻa Ioue percussumʼ se appellat elegiae ex Ponto libri I septimae u. 50, Caesaris clementiam ut saepe laudans (u. 47 sqq.):

Nec uitam nec opes nec ademit posse reuerti,
  Si sua per uestras uicta sit ira preces.
At grauiter cecidi. Quid enim mirabile, si quis
  A Ioue percussus non leue uulnus habet?

Nec omitti potest locus Tristium, qui est libri V elegiae II u. 45 sq.:

Adloquor en absens absentia numina supplex,
  Si fas est homini cum Ioue posse loqui.

In his locis nonnullos iam proposui quibus de Augusto ut de Ioue fulminante, de se ipso ut de homine Iouis fulmine icto loquitur; omnes eiusmodi locos huc conferre longum est[4]. uenio ad eos locos quibus pluribus uerbis cum Ioue Caesar comparatur. ex quibus eos quibus cum Ioue fulminante confertur Augustus — sunt autem satis multi — ipsis uerbis proponere supersedeo[5]. sed uide quomodo ʻartemʼ suam qua iratus est imperatorem omnino non legisse — alioquin enim nullum in ea crimen inuenisset — excusat Tristium libri II u. 215 sqq.:

Vtque deos caelumque simul sublime tuenti
  Non uacat exiguis rebus adesse Ioui,
Ex te pendentem sic dum circumspicis orbem,
  Effugiunt curas inferiora tuas.

grauissimus est locus qui legitur Tristium libri IV elegiae IV u. 13 sqq. amicum enim, qui nomen suum in exulis carminibus legi noluerat ne in inuidiam Caesaris incurreret sollicitus his uerbis compellat:

Ipse pater patriae — quid enim ciuilius illo? —
  Sustinet in nostro carmine saepe legi.
Nec prohibere potest, quia res est publica Caesar,

Et de communi pars quoque nostra bono est.
Iuppiter ingeniis praebet sua numina uatum,
Seque celebrari quolibet ore sinit.
Caussa tua exemplo superorum tuta duorum est,
Quorum hic aspicitur, creditur ille deus.

uides quo deuenerat Romanorum prisca illa religio ac pietas: iam homines pro dis certis habebant, de maiorum dis dubitabant. — adde elegiae quam Germanico Caesari ex Ponto misit (II 1) u. 13 sqq., quamquam non de solo Augusto sed de tota eius gente intellegendi sunt. dicit enim:

Iuppiter utilibus quotiens iuuat imbribus agros,
Mixta tenax segeti crescere lappa solet.
Nos quoque frugiferum sentimus inutilis herba
Numen, et inuita saepe iuuamur ope.
Gaudia Caesareae *gentis* * pro parte uirili
Sunt mea. priuati nil habet illa domus.

sed grauior est locus eiusdem libri elegiae secundae u. 41 sqq.:

Da, precor, accessum lacrimis, mitissime, nostris,
Nec rigidam timidis uocibus obde forem,
Verbaque nostra fauens Romana ad numina perfer,
Non tibi Tarpeio culta Tonante minus.

nec solus Messallinus Iouem illum Palatinum coluit, de quo idem Ouidius noster quod de Ioue Olympico Homerus. hic enim (Iliadis I u. 528 sqq.):

ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπερρώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο. μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον,

ille de Augusto (ex Ponto II 2, u. 65 sq.)

. . . Cumque serenus erit, uultusque remiserit illos,
Qui secum terras imperiumque mouent *etc.*

non solus, inquam, Messallinus instar dei Augustum coluit. ut de aliis taceam, uide, si placet, eiusdem libri elegiam octavam. qui de dis docuit (Art. amatoriae I u. 637)

Expedit esse deos. et, ut expedit, esse putemus,

idem nimirum praesentes conspicuosque deos eo magis coluit quo magis expedire uidebatur. hanc exulis religionem non igno-

* *gentis* palmaris Heinsii emendatio uulgo *mentis*.

rans M. Aurelius Cotta Maximus, cum ea quae plus uno carmine amicus petierat ab Augusto impetrare aut non potuisset aut non esset conatus, Augusti uxorisque eius et filii nepotumque simulacra Tomos misit, quae in sacello domestico posita ille coleret. neque putauit Ouidius ludibrio se haberi, sed gratias egit amico toto carmine, cuius hi potissimum uersus ad nostram quaestionem faciunt (u. 57 sqq.):

Felices illi qui non simulacra sed ipsos,
  Quique deum coram corpora uera uident.
Quod quoniam nobis inuidit *inutile** fatum,
  Quos dedit ars uultus effigiemque colo.
Sic homines nouere deos, quos arduus aether
  Occulit, et colitur pro Ioue forma Iouis.

simillimus autem ei quem de Messallino Augustum colente proposuimus loco alius est tertii libri, qui est in elegia prima u. 135 sq. nam uxorem Liuiam precibus adire iubet tum

Cum domus Augusti Capitoli more colenda,
  Laeta, quod est et sit, plenaque pacis erit.

Caesarem et Iouem eos deos esse putat quos Sextus Pompeius maxime sibi conciliare studeat; nam in elegia quam ad Pompeium consulem designatum gratulandi caussa misit (ex Ponto IV 4 u. 33 sq.) deos faciles fore in uota noui consulis uaticinatur:

Cumque deos omnes tum quos impensius aequos
  Esse tibi cupias, cum Ioue Caesar erit.

unus restat locus non praetermittendus, qui ad Gigantomachiam tandem nos reducet a qua longius aberrauimus. pro iis quae petit quaeque identidem petiuit poeta, carmine se gratum fore promittit, munere uidelicet paruo pro magnis sed non spernendo; neque enim principes sine uatibus rerum gestarum praeconibus esse possunt (IV 8, 55 sqq.):

Di quoque carminibus, si fas est dicere, fiunt,
  Tantaque maiestas ore canentis eget.
Sic Chaos ex illa naturae mole prioris
  Digestum partes scimus habere suas:
Sic adfectantes caelestia regna Gigantas

---

* *inutile* uerbum corruptum nisi fallor; emendationem non habeo.

Ad Styga nimbifero uindicis igne datos.
Sic uictor laudem superatis Liber ab Indis,
Alcides capta traxit ab Oechalia.
Et modo, Caesar, auum, quem uirtus addidit astris,
Sacrarunt aliqua carmina parte tuum.

hoc quoque loco principis res gestae cum Iouis uictoria aliquo modo componuntur; tamen eum cum iis quos supra protuli non coniungendum esse censui; nam aliud est cum poeta utraque ipse comparat, aliud cum epicorum carminum materias enumerat, in quibus primum fortasse his potissimum temporibus locum Iouis Gigantomachia obtinebat. sed de hac re infra disputandum erit. nunc ad uiam reuertamur, a qua tam longe aberrauimus. nec tamen sine fructu hanc digressionem fuisse putabo, si ad eam de qua quaerimus comparationem mihi concedendam paullo propensiorem te reddidi similium comparationum magna copia ex paucis admodum unius poetae carminibus congesta[6]. iam mittamus Nasonem, ad alium transeamus.

Vide Martialem. num ullum adulandi genus exstare potest quo mendicus ille inter poetas ad peram implendam non usus sit? atque huius quidem de quo quaerimus exstat exemplum libri VIII epigramma L.

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi
Quantaque nox superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum
Et licuit faunis poscere uina Iouem:
Tanta tuas celebrant, Caesar, conuiuia laurus;
Exhilarant ipsos gaudia nostra deos.
Vescitur omnis eques tecum populusque patresque,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus quanto maiora dedisti.
Promissa est nobis sportula, recta data est.

hoc carmine cenam publicam Martialis celebrat a Domitiano post reditum e bello Sarmatico populo datam initio anni 93 p. Chr. n.; nam primis huius anni diebus imperator urbem triumphator ingressus est. Sarmatas autem deuictos cum Gigantibus comparat, cum Ioue Augustum uictorem. illam comparationem praeter hunc locum apud Martialem non inuenio — nam libri VIII epigr. LXXVIII u. 1 cum eis de quibus disputauimus locis componere dubito[7] — hanc, ut par est, saepissime[8].

Sed quem adulatio praesentium diuorum inuenerat usum, idem Domitiani aut superiore iam aetate tam familiaris erat ut hostes maiorum cum Gigantibus, bella ante saecula multa gesta cum Gigantomachia componerent; id quod Lucanus non sine adulatione facit: bella ciuilia enim cum Gigantomachia* comparat, sed ita ut taceat de Ioue bellum gerente, laudet Iouem qui post uictoriam regna obtinuerit — Neronem, Belli ciuilis I u. 33 sqq.:

Quodsi non aliam uenturo fata Neroni
Inuenere uiam, magnoque aeterna parantur
Regna deis, caelumque suo seruire Tonanti
Non nisi saeuorum potuit post bella Gigantum;
Iam nihil, o superi, querimur: scelera ista nefasque
Hac mercede placent *etc.*

longius distat a ceteris de quibus disputauimus Silii Italici locus, cui nihil adulationis inest. hic enim Punicorum l. V u. 107 sqq. ipsum Flaminium quos uicit hostes pro Gigantibus facit habentem. ante pugnam apud lacum Trasimenum commissam a Coruino ceterisque sinistris auguriis territis, ne cum hostibus congrederetur, monitus consul iratus:

Sicine nos, inquit, Boiorum in bella ruentes
Spectastis, cum tanta lues uulgusque tremendum
Ingrueret rupesque iterum Tarpeia paueret?
Quas ego tunc animas dextra, quae corpora fudi,
Irata Tellure sata, et uix uulnere uitam
Reddentes uno. iacuere ingentia membra
Per campos, magnisque premunt nunc ossibus arua.

si uerba poetae eadem subtilitate interpretari licet qua historici uerba interpretamur, de pugna apud Telamona a. u. 529 commissa his uerbis gloriatur Flaminius. haec enim fuit de Boiis uictoria, qua summum periculum ab ipsa urbe propulsum est. nec poeta illius temporis terrorem in maius extulisset. reuera Brenni memoriam tunc reuocabant Romani, eandem denuo urbi imminere ruinam omnes clamitabant. quid mirum? tridui itinere ab ipsis portis aberant Celtarum copiae illis quas Brennus adduxerat non minus terribiles (Polyb. II

---

* Rectius fortasse Titanomachiam intellegas.

c. 25 sqq. Mommsen *R. G.* I[6] p. 555 sq. Contzen, *Wanderungen der Kelten* p. 146 sqq.). nec non particeps fuit pugnae illius Flaminius, aut — nam nihil traditur de hac re — participem eum fuisse uerisimile est. nihilominus ad hanc ipsam pugnam uerba referre dubito. nam idem Flaminius duobus annis post cum P. Furio consul uictoria haud contemnenda quamuis militum fortitudine potius quam imperatoris arte reportata Celtas deuicit (Polyb. II c. 32 sq. Mommsen l. c. p. 556 sq. Contzen l. c. p. 151 sq.) et triumphum de iis egit non a senatu illum quidem decretum sed populo fauente concessum. hac uictoria gloriatum esse Flaminium uerisimile est. erat enim '*ferox ab consulatu priore*' (Liu. XXII c. III 4.). hanc igitur uictoriam poetae quoque, cum uersus illos scriberet, in animo fuisse probabile est. nam quod de Boiis loquitur, non de Insubribus, quis hanc licentiam poetae non concedet? sed utrum de pugna apud Telamona commissa an de clade Insubrium locus intellegendus sit, ad eam quam instituimus quaestionem nil interest. hostes cum Gigantibus poeta comparantem facit Flaminium. nam '*corpora irata Tellure sata*' Gigantes sunt. quod quamquam non fugit Drakenborcam, qui Dausqueii de 'Spartanorum' fabula cogitantis errorem refellit, nec post illum ceteros interpretes, tamen hanc rem pluribus persequi iuuat. Terram dis iratam Gigantas procreasse tradit qui Apollodori nomen ementitur in bibliotheca, testis non superior ille quidem altero p. Chr. n. saeculo, sed qui ea quae de Gigantomachia docet, ut pleraque, ex fontibus sat antiquis hauserit, non multis ex inferioris aetatis scriptoribus aut ex suo additis. idem legimus apud Tzetzam in commentario ad Lycophronis Alexandram (ad u. 63 uol. I p. 359 sq. ed. Müller), qui bibliothecam ut saepius ita hoc loco exscripsisse manifestus est; idem in scholiis ad Apollonii Argonauticorum II u. 40. similia tradunt Diodorus III 70, 6 Seruius ad Vergilii Aeneïdos l. IV u. 178 Mythographi qui uocantur Vaticani I 11, II 53. ita ut ab ira Terrae pleraque de Gigantibus carmina profecta esse non sine argumentis conici possit. quae coniectura confirmaretur talibus locis quales sunt Silii ille de quo disputamus et Vergilii Aeneidos l. IV u. 178 sqq. sed non opus est coniecturis, quoniam duobus quae exstant carminibus res illustratur. Claudiani enim Gigantomachia latina aut Claudiani latini Gigantomachia his uersibus incipit:

Terra parens quondam caelestibus inuida regnis
Titanumque simul crebros miserata dolores
Omnia monstrifero complebat Tartara fetu
Inuisum genitura nefas Phlegramque retexit
Tanta prole tumens et in aethera protulit hostes.

Gigantomachiae autem quam Dionysiacis suis Nonnus inseruit hoc est initium (l. XLVIII u. 10 sqq.):

Καὶ Σεμέλης ὅτε παῖδα φερέσβιος ἔκλυε μήτηρ
Ἰνδῴην ταχύποτμον ἀιστώσαντα γενέθλην,
μνησαμένη τεκέων πλέον ἔστενεν. ἀμφὶ δὲ Βάκχῳ
αὐτογόνων θώρηξεν ὀρίδρομα φῦλα Γιγάντων,
ὑψιλόφους ἕο παῖδας ἀνοιστρήσασα κυδοιμῷ κ. τ. λ.

meo autem iure hanc Nonni Gigantomachiam cum ceteris compono; ad quarum exemplum hanc carminis particulam Nonnus composuit non mutatis nisi quae debebat aut propter Iouis Gigantomachiam omnium animis inhaerentem, in quibus est quod non procreantem facit Terram sed armantem Gigantas olim procreatos et ridiculum illud quod Gigantas non interficit Bacchus sed Iouis fulmini reseruat (u. 70, u. 89), aut propter carminis sui contextum, in quibus est quod iratam facit Terram propter Indorum cladem, non propter Titanum fortunam.

Gigantomachiae graecae quae Claudiani nomen prae se fert habemus prooemium, periit ea pars qua pugnae ipsius initium continebatur. haec quoque quin ab irata Terra profecta sit nullus dubito.

Irae caussam non apud omnes eandem tradi uides. ut de Nonno nunc taceam, consentiunt Apollodorus et Apollonii scholiasta, qui de Titanibus ad inferos missis Tellurem iratam esse tradunt; idem Claudianus, sed addit inuidiam deorum, fortasse Ouidium secutus (quae coniectura est Wieseleri), qui regnum caeleste Gigantas affectasse narrat, ne terris securior foret arduus aether (Metam. I u. 151). inepte — nec miramur — mythographus Vaticanus II irae caussam fuisse docet, quod di in terra habitare dedignati essent; mythographus primus Terram iratam esse narrat 'ob sui atque *Tantali* derisionem'; quo loco pro '*Tantali*' — quid enim Tantalo cum Terra aut cum Gigantibus? — '*Tartari*' scribendum est: Tartarum autem et Terram derisos fecit procul dubio ueterum poetarum nescio quis propter Typhonis uel similis monstri ab illis procreati (cf. Apollod. bi-

blioth. I 6, 3, 1) exstinctionem. Diodorus quod propter Aegida a Minerua interfectam Tellurem iratam esse narrat, ad Gigantomachiae carmina certe non pertinet, sed Scytobrachionis aut alius uanum commentum est. itaque ut plerisque testimoniis propter Titanum cladem iratam esse Terram traditur, ita hanc fabulae formam antiquissimam et quasi genuinam habeo: hoc enim initio Gigantomachia cum Titanomachia coniungitur; simili modo cetera quoque carmina inter se coniungebantur, id quod uidemus in narratione quae est de Typhone in bibliotheca. cuius initium hoc est (I 6, 3, 1): ὡς δὲ ἐκράτησαν οἱ θεοὶ τῶν Γιγάντων, Γῆ μᾶλλον χολωθεῖσα μίγνυται Ταρτάρῳ καὶ γεννᾷ Τυφῶνα ἐν Κιλικίᾳ κ. τ. λ. quaestionem difficilem, quam paucis absoluere non possem, utrum in epico qui dicebatur cyclo Gigantomachia fuerit necne, hoc loco mitto; pendet enim ex toto de cyclo epico iudicio (cf. Welcker *Ep. Cyclus* I p. 96, p. 219. Wieseler, *Giganten* p. 141, n. 1). hoc dici potest, id quod Gigantomachiae et Typhonomachiae initiis illis apparet, habuisse rationem haec carmina ceterorum poëmatum, ita ut mutuo se exciperent et quasi orbem fabularum efficerent de quo dici posset: ἄρχεται μὲν ἐκ τῆς Οὐρανοῦ καὶ Γῆς μυθολογουμένης μίξεως . . . διαπορεύεται δὲ τά τε ἄλλως περὶ θεῶν τοῖς Ἕλλησι μυθολογούμενα, καὶ εἴ πού τι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἐξαληθίζεται κ. τ. λ. (Phot. bibl. cod. CCXXXIX p. 319ª ed. Bekker).

Sed de Silii loco hactenus. qui tot uerbis non indignus mihi uidebatur esse, quod in nullo melius apparere putabam, quali poetae illius aetatis magniloquentia res ab imperatoribus gestas aut non gestas celebrassent. talia ei potissimum poetae decantabant qui ludorum in Capitolio hoc tempore (a. 86 p. Chr. n.) institutorum coronam Olympicam captarent. quae coniectura mirum quantum confirmari uidetur loco Pliniano et Quintilianeo inter se comparatis*. iam redeamus a Domitiani aetate ad eam quam cum Maecenatibus suis identidem expetit ac reuocat Martialis, ad auream illam et poesis et poetarum aetatem. nam unus reliquus est de quo disputandum sit Horatius.

---

* Plin. panegyr. Traiani c. 54: 'Et quis iam locus miserae adulationis manebat ignarus, cum laudes imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur'. Quintilian. instit. orat. III 7, 4: 'an laudes Capitolini Iouis, perpetua sacri certaminis materia, uel dubiae sunt uel non oratorio genere tractantur'? cf. A. Imhof, *T. Flauius Domitianus* p. 80.

Dicendum est de libri primi carmine duodecimo a uiris doctis nescio an omnium carminum frequentissime tractato, in quo praeter Flacci interpretes quasi legitimos philologorum principes haud pauci desudauerunt: Philippus Buttmann (*Mythologi* I p. 26—47) Mauricius Haupt (*Opuscul.* III 1 p. 55—61) Iacobus Bernays (*Mus. Rhen.* uol. XI p. 627 sq.) Otto Iahn (*Hermae* uol. III p. 182 sq.) alii. apparet igitur de hoc carmine disputationem esse ʻpericulosae plenum opus aleaeʼ. sed de iis quae hoc loco prolaturus sum Reifferscheidii potissimum uestigia premens plerosque, ut spero, habebo consentientes. uide argumentum carminis, quod ad Caesarem Octauianum misit Flaccus. incipit ore Pindarico (cf. olymp. II u. 1 sqq.):

Quem uirum aut heroa lyra uel acri
Tibia sumis celebrare, Clio,
Quem deum?

inuerso tum ordine deos primos laudat principio sumpto a Ioue, deinde heroas, denique mortales Caesare in fine posito, scilicet deo praesente, Iouis imagine in terra uersante. cuius gloria quo magis splendeat post Romulum et Numam, Brutum[9] et Catonem, aliorum quoque liberae reipublicae uirorum memoriam ab inferis excitat, obscuram scilicet prae Iulii nominis splendore:

micat inter omnes
Iulium sidus, uelut inter ignes
Luna minores.

de ipso enim Octauiano aut de familia Caesarum, cuius tum caput erat ille, haec uerba intellegenda sunt (cf. Kiessling, *Philolog. Untersuch.* fasc. II p. 104, 49); nam quis foret ad illum transitus, si cum plerisque interpretibus de diuo Iulio haec dicta esse statueremus? quae multos in errorem pellexit stellae crinitae, quae post Caesaris mortem emicuit (cf. Sueton. Iul. c. 88), intempestiua memoria, eam ab hoc loco prorsus alienam esse, ipsa comparatio docere debebat. an homo sanus stellam crinitam hoc modo cum luna comparabit? sed uideamus deos quos celebrat Horatius. primum post ipsum Iouem locum obtinet Pallas, secuntur Liber (quem frustra loco depellere studuit Iahn) Diana Phoebus. quos cum ex magno deorum numero eligeret, quam rationem secutus esset poeta primus diligenter quaesiuit Buttmann. atque eos uir doctissimus poetam elegisse docet deos quorum summa esset rerum fortiter gestarum

gloria; nam, ut taceam de Ioue et Minerua, Liberi pugnas et uictorias seu de Indis seu de Gigantibus reportatas celeberrimas fuisse, nec non Apollinis et Dianae arcu et sagittis armatorum uirtutem itemque Herculis et Castorum fortitudinem. quae explicatio ne iis quidem penitus satis faciet qui cum Buttmanno et editoribus plerisque Bentleii emendationem u. 21 spreuerint[10]. difficultatem quae eo continetur quod Martem omittit Horatius, ipse Buttmann indicauit neque ita soluit ut mihi quidem satisfaceret. singulas quae praeterea exsistunt dubitationis caussas proferre non opus est, quoniam eadem quam Buttmann demonstrauerat uia progrediens non solum probabilem, sed certam, nisi fallor, interpretationem Reifferscheid inuenit (*Analect. Horatian.* p. 7 sqq.), qui eorum deorum nomina hoc loco legi docuit quorum celeberrima fuisset in Gigantomachia laus uirtutis: tacitam igitur Gigantomachiae memoriam huic loco subesse, scilicet poetae aequalibus satis perspicuam, cum Gigantomachiam Augusti aetate clarissimarum fabularum in numero fuisse ostendere liceret. his autem potissimum nititur coniectura argumentis: primum quod proximo post Iouem loco Pallas laudatur, deinde quod Liber consociatur cum dis pugnando ac uincendo claris: utrumque Gigantomachiae fuisse proprium[11]. tum in eadem pugna Apollinem quoque et Dianam praecipuas partes egisse iure contendit[12]; quos cum Augustus in primis coleret addere iuuabat. minus feliciter me iudice uir doctus coniecit, sua ipsius caussa panegyrico deorum Bacchi laudes inseruisse, cuius in uincendis Gigantibus merita ipse cecinisset in alio carmine (II XIX u. 21 sqq.); ne postremo quidem quod coniecturae suae Reifferscheid addidit argumento quidquam effici censeo; obseruat enim ille, Iouis imperium eundem in modum hoc loco describi quo describitur in Gigantomachia quae est in carmine quarto libri tertii, quibus uersibus componendum esse tertium locum eiusdem libri, scilicet primi carminis u. 5 sqq. sed utut de postremo hoc argumento iudicabis, res ipsa, si quid uideo, dubia esse non potest. nec dubitauerunt, qui post Reifferscheidium de hoc carmine scripserunt uiri docti cum alii tum Kiessling (*Philolog. Untersuchungen* fasc. II p. 100 sq.) et Pluess (*Horazstudien* p. 97); atque etiam Buechelero in scholis de hoc carmine disserenti probata est Reifferscheidii coniectura. sed quaeris, cur de hoc carmine dispu-

tem, cum de hominum proeliis cum Gigantomachia comparatis quaestionem instituerim. uide extremos carminis uersus (u. 49—60), quibus Ioui commendat Caesarem per preces, rogatque ut Caesarem secundum esse concedat Iuppiter, cuius nil 'uiget simile aut secundum' (u. 18). tum quasi annuente Ioue pergit fidenter*:

Ille seu Parthos Latio imminentes
Egerit iusto domitos triumpho
Siue subiectos Orientis orae
  Sèras et Indos:
Te minor laetum *reget* aequus orbem;
Tu graui curru quaties Olympum,
Tu parum castis inimica mittes
  Fulmina lucis.

de his uersibus facere non possum quin Pluessii, ceteroquin cum de multis Flacci carminibus tum de hoc carmine optime meriti, interpretatione repudiata uolgarem amplectar opinionem plerisque interpretibus probatam. aperte enim, si quid uideo, cum Ioue componit Caesarem, hunc terrae dominum mundi illum. atqui si Flacci aequales initio carminis Iouem Gigantum uictorem cum eis deorum quorum celeberrimum erat in Gigantomachia auxilium laudari intellegebant, eosdem fieri non poterat quin in fine carminis rursus subiret Gigantomachiae memoria, cum audirent de Caesaris cum eodem Ioue comparati uictoriis et triumphis. itaque intellegentibus et Caesarem cum Ioue Gigantomacho, uictos Caesaris hostes cum Gigantibus comparare uidebatur Horatius, neque altius quam debemus in carminis sensum sic penetramus, id quod mihi quidem fecisse uidetur Kiessling, qui quam ipse cum Reifferscheidio agnouit Gigantomachiae significationem eam poetae aequalibus obscuram fuisse nec nisi poetae in animo singulos deos uinculo illo coniunctos fuisse docet (p. 101 sq.). nihil autem ad carminis interpretationem confert qui detegere sibi uidetur ea quae audientibus aut legentibus occulta esse uoluerit poeta: poetae ingenium huiusmodi obseruationibus melius fortasse cognoscimus atque intellegimus, carmina non item. nec tamen eiusmodi est Reifferscheidii de qua diximus coniectura.

---

* Quae si est sententiarum ratio, uides scribendum esse et *regnes* u. 52 (al. *regnas*) et *reget* u. 57 (al. *regat*).

Erunt fortasse quibus subtilior esse uidear, cum non solum ea proferam quae aperte dicunt poetae, sed ea quoque quae significata potius quam dicta poetarum aequales intellexisse putem. sed intellegis, quantum ualeat in hisce quaestionibus subtilitas, modo ne sit audacior aut temeraria; nam si tectam rei significationem aequalibus perspicuam fuisse ad aliquam ueri speciem perduci potest, quanto maiorem eisdem rei ipsius familiaritatem fuisse apparet. quae si in Gigantomachia tanta fuit huius aetatis hominibus quantam fuisse equidem cum Reifferscheidio (p. 9) persuasum habeo, uix ullus de Iouis Gigantomachia locus sine tacita Caesaris uictoris significatione intellegendus est (cf. Kiessling l. c. p. 101). sic non temere Flaccus noster in quarto libri tertii carmine Caesari ex bello redeunti uictori opponit Gigantas a dis deuictos, scilicet hostium a Caesare superatorum imaginem. quid quod Iouis uictoriam canentes poetas Caesaris res gestas celebrasse mihi quidem effici uidetur cum Gigantomachia Horatiana, tum Nasonis uersibus quos supra (p. 17) proposui (trist. II u. 333 sqq.):

> . . . At si me iubeas domitos Iouis igne Gigantas
> Dicere, conantem debilitabit onus
> Diuitis ingenii est, immania Caesaris acta
> Condere, materia ne superetur opus.

nec non Propertii loco qui est elegiae primae libri alterius (u. 39 sqq.):

> Sed neque Phlegraeos Iouis Enceladique tumultus
> Intonet angusto pectore Callimachus,
> Nec mea conueniunt duro praecordia uersu
> Caesaris in Phrygios condere nomen auos.

certe non sola argumenti maiestate et granditate poetas ad Gigantomachias componendas his potissimum temporibus commotos esse censebis, aut hanc solam ob caussam Gigantomachiam uix umquam deesse ubicumque epica argumenta enumerant poetae. itaque si coniecturam quam modo proposui audaciorem esse iudicas, tamen huiusmodi locis eam de qua agimus Gigantomachiae cum hominum rebus gestis comparationem mirum quantum confirmari non negabis.

Haec fere habui quae de florente Augusti temporibus Gigantomachiae memoria dicerem; iam descendo ad infimam litterarum Romanarum aetatem. unus enim restat quo ipsis uer-

bis cum Gigantomachia res gestae imperatorum comparentur locus, uix tamen dignus ille quidem qui in fine disputationis ponatur, non tam quod legitur apud Mamertinum quem dicunt — nam panegyrici illi oratores quin a superiorum temporum poetis permulta didicerint et quasi hereditate acceperint, quis est qui dubitet? — quam quod Maximianum Herculeum Diocletiano Iouio auxilio uenientem cum Hercule comparat orator Ioui in Gigantibus debellandis laboranti succurente. nam Augustorum cognominibus ad hanc comparationem perductus est, ita ut ex hoc loco de superiorum temporum usu nihil efficere possis. inuenitur autem hic locus in panegyrico Maximiano Augusto dicto c. IV (p. 92 ed. Baehrens)

> 'Neque enim cum rei publicae nauem secundus a puppi flatus impelleret, salutarem manum gubernaculis addidisti, sed cum ad restituendam eam post priorum temporum labem diuinum modo ac ne id quidem unicum sufficeret auxilium, praecipitanti Romano nomini iuxta principem subisti; eadem scilicet auxilii opportunitate qua tuus Hercules Iouem uestrum quondam terrigenarum bello laborantem magna uictoriae parte iuuit probauitque se non magis a dis accepisse caelum quam eisdem reddidisse'.

Habes omnes quos in litteris cum Graecorum tum Romanorum inueni locos quibus comparatio illa de qua quaerimus aut aperta aut tecta contineatur, paucos illos quidem pro scriptorum multitudine aut temporum longinquitate, sed satis multos, spero, quibus appareat, in usu fuisse comparationem apud Romanos illam quidem inde ab Augusti aetate ad infima poeseos Romanae et orationis tempora. si quae me fugerunt testimonia, id quod fieri sane potuit, quid ad rem? dummodo eis quae collegi rem probauerim. ea enim est res quae si nonnullis testimoniis confirmata sit nullo refelli possit. an tu comparationis illius usum in dubium uocari censes loco qualis est apud Pacatum in panegyrico Theodosio dicto (c. XLIV, p. 311 ed. Baehrens). de artificibus ille quidem, non de poetis:

> 'uos quoque quibus secunda sors cessit dare famam rebus, artifices, uulgata illa ueterum fabularum argumenta despicite, Herculeos labores et Indicos Liberi triumphos et anguipedum bella monstrorum. haec potius, haec gesta (scil. Theodosii) sollertes manus ducant' *etc.*

quod si, dixerit aliquis, Gigantomachiam fingentes res gestas imperatorum celebrabant artifices, cur ab ipso hoc argumento

reuocantur a Pacato? sed frustra ille, oratoris uerbis temere usus. quibus nil me iudice efficitur nisi quod frequentissima artis argumenta fuerunt Herculis labores Liberi triumphus Gigantomachia.

Ab arte profecti sumus, ad artem redeundum est, postquam scriptorum testimonia perlustrauimus. sed eandem quam in dono Attalico demonstrauimus Gigantomachiae cum mortalium uictoria compositionem frustra circumspicias. sed expurgatis oculis superiore disputatione eadem fortasse non semel apparebit comparatio tecta potius quam ipsa compositione significata. ac profecto quis dubitabit quin non sine tacita Gallorum ab Attalo atque ab ipso Eumene non semel superatorum significatione in ara illa Pergamena, quam inter mirabilia mundi habebant posteri (Ampelius libri memorialis c. VIII, 14 cf. Rohden, *de mundi miraculis diss.* Bonn. 1875 p. 25 sq.), cuius reliquias nos miramur Gigantomachia sit expressa. sic posteriorum quoque temporum reges ipsosque imperatores Romanos monumenta illa magnifica quibus uictorias suas celebrare et aeternae memoriae prodere solebant eadem deorum pugna exornasse uerisimillimum est: nec refellitur haec coniectura Pacati loco panegyr. in Theodos. c. XLIV, de quo diximus; attamen certa exempla afferre nequeo. restant de quibus disputandum sit nummi nonnulli Romanorum — nam in graecis non occurrit Gigantomachia praeter Cilicienses nonnullos, in quibus Mineruae cum Typhone pugna est, quos ad nostram quaestionem non pertinere apparet (u. Eckhel, *Doctrinae Numorum Veterum* uol. III p. 66). atque etiam eos et Messeniorum et Indicorum, qui post Alexandrum M. fuerunt, regum et aliorum nummos in quibus Iuppiter γιγαντοφόνος effictus esse dicitur non temere mitto; quoniam Heydemanni opinio, eodem consilio Iouem illic proponi quo nos Attalum Gigantomachiam cum clade Gallorum coniunxisse demonstrauimus, neque ullo argumento nititur et, si quid effeci eis quae supra exposui, sine ulla dubitatione abicienda est (u. Heydemann, *Gigantomachie auf einer Vase aus Altamura* p. 6, cf. Overbeck, *Kunstmythologie des Zeus* p. 387).

Sed pertinent huc nummi Romani tres potissimum, unus liberae rei publicae, imperatorum duo, Antonini Pii et Septimii Seueri. ac primus quidem ille denarius est Cn. Cornelii Sisennae, qui circa Gracchorum tempora inter III uiros A.A.A.F.F. uidetur

fuisse [13]. describitur denarius ab Eckhelio *D. N. V.* uol. V. p. 189, cui auersae typus 'symbolicus totus uidetur, et notare seditionem aliquam Romae feliciter sopitam, perinde ac Iuppiter Gigantes rebelles perdomuit':

antica pars: caput Palladis (uel Romae) galea alata tectum

SISENA ROMA X

auersa pars: 'Iupiter citatis quadrigis uectus fulmen in subiectum Gigantem uibrat, per aream capita Solis, Lunae, et duo astra' (Eckhel.)

CN CORNEL L F

Speciosa est ac probabilis de hoc auersae partis Ioue seu Gigantem seu Typhonem debellante Cauedonii coniectura (*Annal. dell' Inst.* uol. XI 1839 p. 298 sq. cf. Ouerbeck, *Kunstmythologie des Zeus* p. 387 sq.). Ioui enim Typhonis uictori tacitam L. Cornelii Scipionis significationem subesse suspicatur, qui eadem in regione Antiochum Syriae regem quinquaginta fere annis ante deuicerat ubi olim Typhonem a Ioue superatum esse Graeci fabulabantur (u. Strabon. XII p. 579; XIII p. 628). Scipionum enim rebus gestis et nomine ceteras quoque gentis Corneliae familias gloriatas esse, testimonio ei est Cornelii Blasionis denarius qui Africani maioris imaginem prae se ferat. nam Blasionis denarius (Morelli, *thes. fam. Corn.* I 1 a. 12) caput praebet in antica imberbe galeatum, quod P. Cornelii Scipionis Africani maioris esse primus docuit Visconti (*Iconographie Romaine* t. I § 9, p. 82 sqq. ed. Mediol. t. III 7). quem secuti sunt uiri clarissimi Borghesi (*Osservazioni num.* dec. II 8: *oeuvres complètes* uol. I p. 182 sqq.) et Mommsen (*Gesch. d. Röm. Münzwesens* p. 563, n. 181 coll. p. 462) dubitantibus Coheno (*Méd. consul.* p. 102 sq. [t. XIV Cornelia 4] coll. p. 110) et Bernoullio (*über die Bildnisse des älteren Scipio* p. 15).

Sed de nummo utut statues rem ipsam testatur Valerius Maximus qui de Scipione Africano haec narrat (VIII 15): 'Imaginem in cella Iouis optimi maximi positam habet, quae, quotienscumque funus aliquod Corneliae gentis celebrandum est, inde petitur, unique illi instar atrii Capitolium est'. (cf. Visconti l. c. p. 75. p. 85.) itaque non est cur Scipionis uictoriam a Sisenna celebratam esse negemus, etiamsi non fuerit ex Sisennarum familia L. Cornelius ille qui bello imminente legatus missus est 'ad dirimenda inter Antiochum Ptolemaeumque reges certamina' (Li-

uius XXXIII c. 39. cf. Cauedoni l. c. p. 299). comparationem autem qua eam celebrauit non ipse inuenit Sisenna, sed a Graecis accepit. carminibus aut orationibus Scipionum uictoriam celebratam esse conicio a Graeculis in Romanorum adulationem pronis. hos autem ea comparatione abstinuisse quae ipso uictoriae loco commendabatur, quis est qui contendat, cum praesertim meminerit eandem comparationem illa aetate familiarem fuisse Graecorum poetis atque artificibus; quid enim interest — si hanc comparationem spectas — inter Typhonem et Gigantas? Graecorum autem usu tritam Sisenna accepit et suum in usum uertit hanc laudis formam a Romanorum grauitate alienam: hucusque Graecorum adulationem sequi poterat homo Romanus generis nobilitate superbiens. eundem eo progressum esse ut ipsum illum cuius nomine gloriaretur Iouis insignibus ornaret mortalem, confidenter nego: non ante liberae rei publicae aetatem extremam haec Romanorum principes superbia atque impietas inuasit. itaque abicio Ouerbeckii coniecturam, qui ipsum Scipionem Asiaticum (falso enim de Asiagena loquitur) Iouis insignibus instructum quadrigis uehi putat. ad quam coniecturam errore perductus est; errauit enim quod Iouem illum imberbem esse putat, nisi forte semper imberbem esse censes horum nummorum Iouem: neque quisquam eorum qui rei nummariae sunt peritissimi de hac re uerbum ullum dixit.

Breuior erit de duobus qui restant nummis disputatio. quorum alter Antonini Pii aeneus est anni 157 p. Chr. n. (IMP II TR POT XIX COS IIII), qui inuenitur apud Cohenum, *Méd. Impér.* II² p. 366, 1004, non inuenitur nescio quo pacto apud Froehnerum in libro qui inscribitur: *Les Médaillons de l'Empire Romain depuis le règne d'Auguste jusqu'à Priscus Attale.* cf. Eckhel, *D. N. V.* VII p. 34. Ouerbeck, l. c. p. 388, t. V 10. uides Iouem in quadrigas conscendentem fulmen dextra uibrantem in Gigantem anguipedem imberbem, nisi fallor, qui sub pedibus est equorum. uictoriam quam hoc nummo celebratam putem non noui; sed quasi perpetua erat imperatorum Romanorum uictoriarum gloria, ita ut etiam dum pacem seruarent pro hostium uictoribus celebrari possent.

Ad tertium nummum uenimus, qui est Septimii Seueri argenteus anno p. Chr. n. 207 cusus (IMP XI PART MAX P M TR P XV COS III P P). quem uide apud Cohenum, *Méd. Im-*

pér. Supplém. uol. VII p. 210, 1. apud Froehnerum l. c. p. 157. fugit Ouerbeckium, nimirum ab Coheno in supplemento primum propositus. Iuppiter fictus est quadrigis citatis uehens dextra fulmen uibrans, quo alterum Gigantem exstinxit, quem uides iacentem sub equis, alterum appetit, hunc quoque anguipedem, qui ramo sublato aduersus equos contendit. subscriptum est IOVI VICTORI. uictoriam Parthicam hoc nummo celebrari coniecit Froehner. sed a bello Parthico Romam reuertit Seuerus Parthici Maximi cognomine ornatus anno p. Chr. n. 202, nummum anno 207 cusum esse diximus. quo ipso anno exercitus Romanos in Britannia bellum feliciter gessisse nouimus, quamobrem paullo post nouum imperium (XII) Seuerum suscepisse constat cf. Dion. Cass. LXXVI c. 10. Tillemont III p. 75. fortasse has exercituum uictorias, quarum gloria imperatoris erat, quamquam nisi anno posteriore (208 p. Chr. n.) in Britanniam non profectus est, hoc nummo celebrauit Seuerus.

III

Quodsi testimoniis adhuc propositis iure mihi uideor probasse, comparationem illam uictoriae diuinae humanaeque, quam in dono Attalico quod dicitur demonstraueram, inde ab Attali aut a Callimachi aetate ad Honorii usque tempora poetis et artificibus cum Graecis tum Romanis in usu fuisse ac familiarem, operae pretium uidetur esse eiusdem comparationis originem inuestigare.

Non deerunt fortasse qui acquiescant in antiquissimis eorum quae protulimus testimoniis atque omnium primos Gallos in Graeciam et Asiam irruentes cum Gigantibus comparatos esse arbitrentur. quae opinio ne argumentis careat, praeter superiorum temporum silentium Diodori Strabonis Pausaniae de Gallorum proceritate testimonia recitabunt. legimus enim apud Diodorum (V, XXVIII 1) οἱ δὲ Γαλάται τοῖς μὲν σώμασίν εἰσιν εὐμήκεις κ. τ. λ., apud Strabonem (IV p. 195) τῆς δὲ βίας τὸ μὲν ἐκ τῶν σωμάτων ἐστὶ μεγάλων ὄντων, τὸ δ' ἐκ τοῦ πλήθους κ. τ. λ.; grauissimum autem testimonium est apud Pausaniam (X, XX 7): εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλως οἱ Κελτοὶ μακρῷ πάντας ὑπερηρκότες μήκει τοὺς ἀνθρώπους κ. τ. λ. (cf. I XXXV 3). hanc corporum proceritatem comparationis caussam imprimis fuisse non sine probabilitate affirmabunt.

Sed sunt quae obstent. nullam enim inuenio Gallorum cladem quam eis carminibus celebratam esse credibile sit quae omnibus qui postea regum et imperatorum res gestas uersibus persequerentur poetis exempla essent. de Ptolemaei Philadelphi uictoria cuius laus exstat apud Callimachum nemo cogitabit. sed Attali quoque uictoriam quamuis celeberrimam primam omnium cum Iouis Gigantomachia comparatam esse fidenti animo equidem nego duabus potissimum rationibus commotus. ex quibus alteram iam supra exposui; neque enim huiusmodi sententia, qualem doni Attalici artifices ipsa compositione argumentorum significasse apparuit, utebantur artifices graeci nisi satis nota familiarique aequalibus, siquidem artis opera commentario in-

digere nolebant. itaque ipsam comparationis originem Attali aetate non superiorem fuisse ueri dissimillimum est. altera autem ratio eo continetur quod poetas — si qui celebrarunt Attali uictoriam cf. Wilamowitz, *Antigonos v. Karystos* p. 167 sq. — eam uim atque auctoritatem qua septem fere saeculorum usum regerent non habuisse certissimum est: Alexandriae erant a quibus inferiorum temporum poetae leges acciperent, quos imitarentur, non Pergami. denique Callimachi testimonium obstaret huic coniecturae. restat igitur Delphica Gallorum clades. nam de Antiochi Soteris, nedum Hieracis uictoriis cogitanti atque ad ludos prouocanti quos in memoriam uictoriae illius τῷ σωτῆρι (scil. Apollini? cf. Wachsmuth, *Historische Zeitschrift* X 1863 p. 10) institutos esse nouimus ex titulo C. I. Gr. 1693, eadem quae de Attalo dixi tibi obicerem. Delphicam autem uictoriam carminibus celebratam esse uerisimile est. nihilo minus haec quoque coniectura mihi non probatur. licet enim poetae, qui ludorum ab Aetolis institutorum[1] coronam captarent, Celtarum cladem cum clade Gigantum composuerint, hanc comparationem usus illius quem demonstrauimus inferiorum temporum exemplum fuisse atque originem prorsus incredibile est. numquam enim a superbia qua mortalium hostes mortales cum deorum immortalium aduersariis componebant poetae regum adulatores longius aberant Graeci quam post mirum illum atque inopinatum Gallorum interitum. ipsam enim uictoriam non suae ipsorum uirtuti sed Apollini Dianaeque et Mineruae tribuebant, τοῖς θεοῖς σωτῆρσιν, quos ipsos dei templum a barbarorum audacia defendisse et narrabant et credebant cf. Wachsmuth. l. c. p. 1 sqq. — Apollinis igitur nouos aduersarios si forte cum Gigantibus comparauerunt, nil pertinet ad nostram disputationem neque exemplo esse poterat Attalo. altius igitur repetenda uidetur esse comparationis origo.

Atque in promptu est coniectura. Alexandri Magni imitatores fuisse fere totos qui post eum exstiterunt Syriae Aegypti Macedoniae cuiusuis denique imperii quod ille comparauerat prouinciae reges adeo constat ut hac quoque in re Alexandrum exemplo praeiisse, si alia argumenta deessent, non sine ueri specie coniceremus. sed habemus, nisi fallor, quibus coniecturam confirmare et quasi fulcire possimus.

Rerum ab Alexandro Magno gestarum omnium procul

dubio celeberrima fuit Indica expeditio. quae quin non solum a populis, Asiae potissimum, nouis in dies fabulis aucta atque exornata sit sed etiam a poetis graecis celebrata nullus equidem dubito, quamquam ne unum quidem uersiculum seruauit nobis temporum iniquitas, quippe quae omnia poetarum qui Alexandri res gestas uersibus persecuti sunt carmina pessum dederit. habemus documentum locupletissimum quo appareat expeditionis Indicae quanta fuerit in poesi Graecorum uis atque auctoritas. hanc enim carminum illorum quae Liberi res gestas, Indicum potissimum triumphum, narrarent originem fuisse constat inter omnes. permulta fuerunt huiusmodi carmina, quae Διονυσιακά appellabant seu Βασσαρικά[2]; unum superest: Nonni Panopolitani Dionysiacorum libri XLVIII. quorum librorum praecipuum argumentum est expeditio Indica, quae duodetriginta fere libris inde a decimo tertio — ut taceam de narratiunculis hic illic interpositis — continetur. quos libros quisquis inspexerit terrigenas Nonno quidem Indos esse nouerit. γηγενεῖς enim appellantur: XVIII 221, 266; XXXI 173; XXXIV 182; XXXVI 160; XLVIII 9. idemque χαμαιγενεῖς: XVIII 267; XXXV 352: Terrae igitur filii sunt. ac Terram uidemus filiis suis subuenientem uerbis illam quidem Aeacumque uictorem a clade suorum reuocantem et deterrentem: XXII 274 sqq.: sic pro Gigantibus matrem supplicantem faciebant poetae, id quod apparet ex artis operibus, cum ex patera Berolinensi Ergini et Aristophanis nominibus signata (Gerhard, *Trinkschalen und Gefässe* tt. II. III) et ex crateris fragmento Rubis reperto Neapolitano (*Mon. dell' Inst.* IX 1869 t. VI), de quo infra pluribus dicendum erit, tum ex Gigantomachia Pergamena; nam de uasculis antiquissimis, Nicosthenis cratere: Ouerbeck, *Atlas zur Kunstmythologie* I t. IV 7. et culice apud Gerhardum *Auserl. Vasenb.* I t. LXI 11 dubitauerit quispiam.

Quid? non semel Gigantes appellantur Indi, uelut ab ipso Libero XLIII 134 sqq.

κταμένων δὲ νεόρρυτον αἷμα Γιγάντων
νεβρὶς ἐμὴ μεθέπουσα μελαίνεται · εἰσέτι δ'αὐτὴ
ἀντολίη τρομέει με, καὶ εἰς πέδον αὐχένα κάμπτει
'Ινδὸς ἄρης, Βρομίῳ δὲ λιτήσια δάκρυα λείβων
δάκρυα κυματόεντα γέρων ἔφριξεν Ὑδάσπης.

item XXV 255 sqq.

Τρῳάδος ὑσμίνης οὐ μνήσομαι · οὐ γὰρ εἴσκω
Αἰακίδῃ Διόνυσον ἢ Ἕκτορι Δηριαδῆα.
ὑμνήσειν μὲν ὄφελλε τόσον καὶ τοῖον ἀγῶνα
Μοῦσα τεὴ καὶ Βάκχον ἀκοντιστῆρα Γιγάντων,
ἄλλοις δ' ὑμνοπόλοισι πόνους Ἀχιλῆος ἐᾶσαι,
εἰ μὴ τοῦτο Θέτις γέρας ἥρπασεν κ. τ. λ.

nec non XLII 201 sqq. (143 sqq.)

παρθένον ἔτρεμε Βάκχος, ὃν ἔτρεμε φῦλα Γιγάντων ·
γηγενέων ὀλετῆρα φόβος νίκησεν ἐρώτων ·
τοσσατίων δ' ἤμησεν ἀρειμανέων γένος Ἰνδῶν,
καὶ μίαν ἱμερόεσσαν ἀνάλκιδα δείδιε κούρην,
δείδιε θηλυτέρην ἁπαλόχροον κ. τ. λ.

de Indis enim hoc quoque loco, non de ipsis Gigantibus mihi quidem uidetur cogitasse poeta, quoniam cum his non nisi libro XLVIII Liberum facit pugnantem. item XXIX 40 Βάκχον ὀιστευτῆρα Γιγάντων Deriadi oppositum Indorum uictorem esse intelleges. idem γιγαντοφόνος appellatur XVII 10 et XLV 172, dubium utrum propter Indos an propter ipsos Gigantas superatos; certe de Indis, non de Alcyoneo aut Encelado cogitauit Nonnus cum χειρὶ γιγαντοφόνῳ Liberum cum Indis pugnantem hastam hederatam uibrasse narrat XXXV 341 sqq.

οὐδὲ μάχης ἀμέλησε Διὸς πάις ἀλλὰ μαχητὰς
θωρήξας παλίνορσος ἀγέστρατον ἴαχε φωνήν,
χειρὶ γιγαντοφόνῳ ταμεσίχροα κισσὸν ἑλίσσων κ. τ. λ.

terrigenae (γηγενεῖς, χαμαιγενεῖς) dici poterant Indi propter Indum gentis auctorem, qui Terrae filius fuisse tradebatur; nam quod de Colleta narrat XXXVI 252 sq.

. . . γηγενέος προγόνοιο θεημάχον αἷμα κομίζων,
Ἰνδοῦ πρωτογόνοιο κ. τ. λ.

idem ad ceteros quoque Indos pertinet. cum Gigantibus autem componuntur (cf. XXV 245) aut Gigantes appellantur non tam propter originem ab eadem matre, Tellure scilicet, ductam quam propter immanem corporum magnitudinem et pugnae cum deo susceptae impietatem, Telluris filiorum propriam utramque. non desunt testimonia. proceritatem enim Orontis significat XLVII 625 sq.:

ὃν (scil. Λυαῖον) τρομέων καὶ Δηριάδης καὶ Ὀρόντης
ἠλιβάτων ἀπέλεθρον ἔχων ἴνδαλμα Γιγάντων
ἤριπεν κ. τ. λ.

Rhigbasi XXVI 249 . . . Ῥίγβασος ἡγεμόνευεν ἔχων ἴνδαλμα Γιγάντων (cf. XIII 418 de Ogyro Samothracum duce Ὤγυρος ὑψικάρηνος ἔχων ἴνδαλμα Γιγάντων). nec raro hanc Indorum miram magnitudinem praedicat. Orontem enim et εἰκοσίπηχυν dicit (XXV 252) et ἐννεάπηχυν (XXXIV 177); ἀπέλεθρος Deriades audit (XXV 252; XXXV 1; XXXIX 14), idem ὑψίλοφος (XVII 4); πέλωρ uocatur et Thureus (XXII 140; idem ὑψικάρηνος u. 165) et Morrheus (XXX 59); de Morrheo praeterea locus est grauissimus XXXIV 189 sqq.

οὐ γὰρ ἐπιχθονίοισιν ὁμοίιος ἔπλετο Μορρεὺς
ἀλλὰ Γιγαντείων μελέων ὑψαύχενι μορφῇ
Ἰνδῶν γηγενέων μιμήσατο πάτριον ἀλκὴν
ἠλιβάτου Τυφῶνος ἔχων αὐτόχθονα φύτλην κ. τ. λ.

haec igitur Indorum cum Gigantibus comparatio si apud Nonnum inuenitur, a superioribus cum Dionysiacorum poetis tum eis qui Alexandri expeditionem Indicam celebrabant non aliena fuit. tu si ex infimae aetatis poemate de carminibus septem fere saeculis superioribus coniecturam facere dubitas, argumentis equidem demonstrabo, iam a poetis nescio quibus Alexandro quam Nonno propioribus aetate immanem illam quam in Indis admirati sunt corporum magnitudinem more poetarum auctam esse fabulisque exornatam [3], ita ut comparatione illa poetas abstinuisse prorsus incredibile sit.

Strabo ubi de Oronte Syriae flumine disserit (XVI p. 750) de fluminis nomine haec tradit: τὸ δ᾽ ὄνομα τοῦ γεφυρώσαντος αὐτὸν Ὀρόντου μετέλαβε καλούμενος πρότερον Τυφών. quae transscripsit procul dubio Eustathius, qui ad Dionysii periegetae u. 919 haec adnotat de Oronte (p. 282 ed. Bernhardy): Τυφὼν μὲν καλούμενος πρότερον διὰ τὸν ἐπὶ τῷ Τυφῶνι μῦθον, ὃς ἐν Ἰλιάδι γέγραπται, μεταβαλὼν δὲ καὶ τὸ τοῦ γεφυρώσαντος αὐτὸν μεταλαβὼν ὄνομα, ὃς Ὀρόντης ἐκαλεῖτο. quibus praeterea de suo addidit haec: ἄλλοι δέ φασιν ὅτι ὁ Καῖσαρ Τιβέριος ἐκ δράκοντος (l. Δράκοντος) αὐτὸν Ὀρόντην μετωνόμασεν, ὃ σημαίνει Ῥωμαϊστὶ τὸν ἀνατολικόν.

Num ullus umquam fluuius appellatus est a nomine eius qui, primus fortasse, pontem ei iniecit? nullum equidem noui

exemplum, ac frustra circumspicies. atqui in eiusmodi fabulis ea quae sine exemplo sunt ueri sunt dissimilia, ita ut eam huius fabulae interpretationem quae cum ceteris quae de fluminum nominibus tradi solent fabulis consentiat te quoque lubenter amplexurum esse sperem. fluminum et marium nomina ab hominum fluctibus submersorum nominibus ducta esse putabant. testis Icarus, a quo mare Icarium, testis Hella, a qua Hellespontus nomen accepisse ferebatur; testis Myrtilus (cf. Pausan. VIII XIV 12 al.), testis Euenus (cf. Apollodor. bibl. 1, 7, 8 al.). quid multa? ille qui Plutarchi libros libello de fluuiis auxit eadem nominum interpretandorum ratione totiens abutitur ut in una acquiescere uideatur. quae quam frequens ac trita fuerit testimonium grauissimum est Propertii eleg. III XXVI u. 1 sqq.

> Vidi te in somnis fracta, mea uita, carina
> Ionio lassas ducere rore manus
> Et quaecumque in me fueras mentita fateri,
> Nec iam umore graues tollere posse comas.
> Quam timui ne forte tuum mare nomen haberet
> Atque tua labens nauita fleret aqua,
> Qualem purpureis agitatam fluctibus Hellen,
> Aurea quam molli tergore uexit ouis!*

adde Nasonis uerba, quae leguntur in Ibide; neque enim contentus est eo quod Myrtili mortem inimico precatus est (u. 367 sq.)

> Proditor ut saeui periit auriga tyranni (scil. pereas u. 363)
> Qui noua Myrtoae nomina fecit aquae,

sed similem repetit exsecrationem his uerbis (u. 511 sq.):

> Vtque uel Euenus torrenti flumine mersus
> Nomina des rapidae uel Tiberinus aquae.

Quodsi constat, hanc fuisse uolgarem qua fluuiorum nomina cum hominibus coniungerent rationem, non miraberis, eodem modo Orontis quoque nomen deriuari apud Nonnum. Orontes enim Indus gener Deriadis (XXXIV 178 sq. saep.) a Libero prope Taurum (XVII 137 cf. 330), qui ab Oronte Syriae fluuio non longius abest quam qui poetae pro uicino esse possit, uictus (XVII 262 sqq.) se ipse gladio transfigit, moriens in fluuium praecipitat, eidem fluuio nominis fit auctor (u. 287 sqq.):

---

* V. 5 sq. post u. 7 sq. transponi iussit Dilthey in scholis.

ὣς εἰπὼν ξίφος εἷλκε, μέσῳ δ' ἐνὶ γαστέρι πήξας
αὐτοφόνῳ βαρύποτμος ἐπεσκίρτησε σιδήρῳ
καὶ ποταμῷ κεκύλιστο καὶ οὔνομα δῶκεν Ὀρόντῃ.

habuit igitur euentum Niobae uaticinium, quae Indos ne cum Baccho pugnarent deterruerat (XIV 274 sqq.)

μὴ ποταμοῦ παρὰ χεῦμα φερώνυμον Ἰνδὸν Ὀρόντην
γαμβρὸν ἐσαθρήσητε δεδουπότα Δηριαδῆος.

ac Protonoa coniugem mortuum lamentatur his uerbis (XL 115 sqq.):

. . . . οὐ μετὰ νίκην
νόστιμον ἄνδρα νόησα τὸ δεύτερον, ἀλλὰ σιδήρῳ
αὐτὸς ἑῷ δέδμητο, καὶ οὔνομα δῶκε ῥεέθροις κ. τ. λ.

et paullo infra eadem (u. 136 sqq.):

τίς με λαβὼν κομίσειεν ἐς ἱερὰ τέμπεα Δάφνης,
ὄφρα περιπτύξαιμι καὶ ἐν προχοῇσιν Ὀρόντην;
εἴην ἱμερόεις καὶ ἐγὼ ῥόος. αἴθε καὶ αὐτὴ
δάκρυσιν ὀμβρηθεῖσα φανήσομαι αὐτόθι πηγή,
ἧχι θανὼν εὔυδρος ἐμὸς πόσις οἶδμα κυλίνδει,
εὐνέτις ὑδατόεσσα κ. τ. λ.

quae his locis Nonno probatur de Oronte Indo fabula, eam uolgarem fuisse cum uerisimile est propter multarum quae de fluminum nominibus sunt fabularum similitudinem tum confirmatur eo quod Pausaniae testimonio constat altero p. Chr. n. saeculo Orontem Indum, fluuii nominis auctorem, in fluminis alueo sepultum esse aut fluctibus olim submersum uulgo esse creditum (u. Pausan VIII xxix 3 sq. cf. Koehler, *die Dionysiaka des Nonnus* p. 56). lubenter igitur tu quoque loci Straboniani interpretationem ex eadem fabula quamuis obscurata repetendam esse concedes. quae ultro apparebit, opinor, si loci Nonniani memineris qui est de morte Deriadis Indorum regis. hunc enim ipsius Liberi thyrso uulneratum Hydaspis fluctibus patriis incumbentem immanibus corporis artubus flumini quasi pontem iniecisse narrat XL 91 sqq.

. . . δαίμων δ' ἀμπελόεις ταμεσίχροα θύρσον ἰάλλων
ἀκρότατον χρόα μοῦνον ἐπέγραφε Δηριαδῆος
αὐτὰρ ὁ κισσήεντι τυπεὶς φθισήνορι θαλλῷ
πατρῴῳ προκάρηνος ἐπωλίσθησε ῥεέθρῳ,
μηκεδανοῖς μελέεσσι γεφυρώσας ὅλον ὕδωρ
αὐτόματος κ. τ. λ.

sic Orontes quoque flumini Syriaco pontem iniecit. nec tamen

is sum qui ipsius Strabonis uerbis hanc interpretationem obtrudam. dixerat poeta nescio quis de Oronte Indo Syriae fluuio superiecto artubus pontem faciente, superuenit qui fabulam ad rerum fidem reduceret Euemeri aliquis sectator, qui uerba poetae seruauit illa quidem sed ad sententiam inflexa prorsus aliam. hunc ipse Strabo secutus est. ain tu planam rem esse ac perspicuam?

Dixit igitur poeta Strabone superior de Oronte quodam ingenti corporis mole fluuio pontem iniciente. qui Orontes procul dubio idem Indorum dux fuit de quo uidimus Nonni narrationem. atqui poetam qui Orontem Indum prope flumen Syriacum pugnantem fecerit uictum morientem, Dionysiacorum seu Bassaricorum poetam fuisse certissimum est. nulla enim excogitari potest uia qua Indus ille in Syriam peruenire potuerit nisi per carmina poemati Nonniano simillima. itaque praestitisse mihi uideor id quod promisi. ac profecto poetae primi uel alterius a. Chr. n. saeculi si Liberi uictoriam de Oronte Indorum duce in Syria reportatam eodem fere modo quo Nonnus celebrarunt Indorum proceritatem fabulis exornarunt atque auxerunt, quin eidem Gigantum quoque comparatione usi sint mihi quidem minime dubium est; qua si usi sunt poetae Dionysiacorum, plurimos in eadem fuisse Alexandri Magni laudatores si non certum at uerisimillimum est.

Accedit quod Pausaniae pro Gigante uidetur esse Orontes Indus; nam Gigantas anguipedes non fuisse demonstranti l. c. argumento ei est quod Orontes Indus anguipes non fuit. quod si fuit, manifestus est Dionysiacorum carminum usus. nam tota quae fuit de Oronte Indo fabula ex carminibus illis, ut supra monui, aperte pendet. nullam enim qua Indum in has Asiae regiones peruenisse cum aliqua ueri specie contendas inuestigabis uiam a carminibus illis alienam, duae autem per eadem carmina quaerenti patent, ex quibus utram potiorem habeam ita dubito, ut utraque fortasse fabulam progressam esse putem. Indica enim expeditio cum carminum Dionysiacorum summa semper esset, quo maior fieret Liberi rerum gestarum et Alexandri Magni expeditionis similitudo regis Indorum legatos iam in Syria deo se opposuisse poetae fingere potuerunt, scilicet in eis Asiae regionibus in quibus Alexander quoque uictoriam reportauerat celeberrimam pugna apud Issum commissa. altera autem explicatio eo nititur quod iam demonstrasse mihi

uideor. nam siquidem carminum illorum poetis pro Gigantibus erant Indi, ideo fortasse ad Orontem fluuium eos transtulerunt quod Gigantas his locis olim fuisse testes uidebantur exstare saxa prope Antiochiam urbem sita, quibus hominum corpora exprimi uidebantur: u. Pausaniam Damascenum apud Malālam p. 198 ed. Bonn. = F. H. Gr. uol. IV p. 469, 2; cf. C. O. Muelleri de antiquitatibus Antiochenis comm. I 5, p. 217.

Sed reliquum est unum, nisi fallor, cladis Indorum cum Gigantomachia compositae documentum eis quae adhuc proposui longe antiquius, ipsius Alexandri aetati propinquum: supersunt uasis picti pulcherrimi fragmenta Rubis reperta in museo nationali Neapolitano nunc asseruata (Heydemann, *Die Vasensammlungen des Museo Nazionale* p. 425 sqq. n. 2883), quae bacchicae cateruae pugnam cum Gigantomachia compositam continent (u. *Mon. dell' Inst.* IX t. VI; O. Iahn, *Annali dell' Inst.* 1869 p. 185 sqq.). ac de Gigantomachia quidem nemo dubitauit. uidemus enim in fragmento maiore iuuenes aut nudos aut pellibus instructos plerosque, nonnullos armatos, saxa coaceruantes aut in aduersarios de loco superiore pugnantes impetum facientes. iuueni armato a sinistra parte subsidenti, quasi insidianti aduersariis, nomen adscriptum est ΕΝΚΕΛΑΔΟΣ, ita ut nemo dubitare possit quin sit

Fidens iuuentus horrida brachiis
Fratresque tendentes opaco
Pelion imposuisse Olympo (Horatii c. III IV u. 50 sqq.),

quam uidemus impetum facientem in caelum quod arcu caelesti significatur, in quo hinc Lunam equitem fecit descendentem artifex illinc Solem cum quadrigis orientem [4]. atque ex dextra parte Tellus emergit manus ad deos tendens siue iuuenes filios ad pugnam incitat siue precibus deos adit, quos uicturos esse uidet. supra arcum caelestem positus fuit Iuppiter cum cohorte deorum. quorum nil superest nisi uestimenti lacinia, mulieris nisi fallor, et quattuor equorum pedes priores, non currentium, ut uidebantur Iahnio (l. c. p. 187) et Heydemanno (l. c. p. 426), sed stantium aut gradientium (cf. Ouerbeck, *Kunstmythologie des Zeus* p. 371); quas Iouis fuisse quadrigas uerisimile est.

Ex altera uasis parte [5] satyrus superest et baccha in hostes supra positos ab imo irruentes, casside armatus ille et hasta aut thyrso — nam summo telo praefracto res dubia est — pellem

pro scuto laeuo bracchio praetendens, haec laeua thyrsum uibrans, dextra saxum in hostes mittens (u. Iahn. l. c. p. 189), quorum nil reliquum est in fragmento undique mutilo nisi uiri a satyro illo instante pressi et pedem referentis crus laeuum cum femore, quo apparet hominem a tergo fuisse pictum eodem fere modo quo Porphyrionem, Iouis aduersarium, in Ergini et Aristophanis patera Berolinensi, cuius pes laeuus simillimus est. ante satyri pedes uitis picta est luxuriosa, quam Liberum pugnantem ex terra elicere, qua aduersariorum pedes implicentur, non uno testimonio discimus. cf. Welcker, *Ep. Cyclus* II p. 139, n. 74; Iahn, *Arch. Aufsätze* p. 164; Koehler l. c. p. 52 et p. 78. hoc loco Gigantomachiae quae est in patera apud Luynium, *Description de quelques uases peints* t. XIX sq. (= Gerhard, *Trinkschalen* t. AB), commonefecisse satis habeo. supra baccham, cui ΠΑΙΔΙΑ nomen adscriptum est, satyri alterius eodem fere quo prior modo progredientis pes laeuus seruatus est et sedentis fortasse hominis pedes, uel potius dei. tigris denique pedem uides prope dextrum fragmenti marginem.

Ad Liberi pugnam hoc fragmentum pertinere apparebat, de bacchicae cateruae aduersariis dubitabant. de ipsis Gigantibus post alios cogitauit Heydemann l. c. p. 426 cf. n. 6, scilicet hanc uasis partem cum altera coniungens. quam coniecturam iure respuerunt Iahn l. c. p. 190 et Ouerbeck l. c. p. 371. sed eis quibus Ouerbeckio satis fecit Iahn accedit, nisi fallor, argumentum grauissimum. neque enim fieri potest ut Gigantas, quos in altera uasis parte ab imo uidemus impetum facientes in deos supra positos, eosdem in altera superiore in parte collocatos fingamus, ita ut superne in satyros ascendentes pugnent. adde quod dissimillimum est ueri ea quae non inclusa sunt hinc Luna descendente illinc Sole oriente tamen ad Gigantomachiam pertinuisse. itaque satyrorum et baccharum aduersarios non eosdem Gigantas fuisse spondeo; qui fuerint quaerere non desisto. de Pentheo cogitari non potest, qui a mulieribus furiosis dilaceratus est, non uictus a bacchis satyrisque armatis. ne Tyrrhenorum quidem clades respici potest. omnes igitur quorum ratio habenda est Liberi aduersarii Indi sunt Lycurgus Thrax Perseus Argiuus (cf. Iahn l. c. p. 190; Ouerbeck l. c. p. 371). Lycurgum quoque dimittet si quis nouerit, quomodo hanc fabulam uasculorum pictores depinxerint. neque enim bellum faciebant gerentem Liberum. uide uascula

picta I Millingen, *peintures de vases grecs tirées de diverses collections* pl. 1. 2.

II *Monumenti dell' Instituto* IV t. XVI.

III Mueller, *Handbuch der Archaeologie* 384, n. 6.

IV *Monumenti d. I.* V t. XXIII.

V Millin, *tombeaux de Canosa* pl. XIII.

coll. Stephani, *Compte-Rendu* 1867 p. 184 sq.

Persei autem pugnam a uasculorum pictoribus aut a ceteris artificibus fictam esse neque exemplis comprobari potest neque omnino probabile est; nam si quae Liberi cum uiro armato pugnae ad Perseum olim referebantur (cf. Mueller, *Handbuch* 384, 6), Gigantem esse dei aduersarium nunc constat inter omnes. unum igitur restat bellum Indicum, quod in uase Neapolitano cum Gigantomachia coniunctum fuisse putemus. nec dubito equidem, quamquam argumentis certissimis res euinci non potest. nullum enim superest in uasculorum picturis belli Indici exemplum: omnes quas ad Deriadis et Liberi pugnam olim referebant non minus quam eae quae Persei cladem continere uidebantur ad Gigantomachiam referendae sunt [6]. nam qua aetate uascula illa picta sunt ea belli Indici fabulam nondum excultam fuisse constat (cf. Stephani l. c. p. 186). sed artem graecam, quam a Persei pugna fingenda abhorruisse uerisimile est, eandem in bello Indico uersatam esse et persuasum habebis si qua fuerit post Alexandrum M. fama ac nobilitate tecum reputaueris, et testimoniis demonstrari potest. neque enim Longus in templo Liberi, quod fuisse narrat in hortis Dionysophanis, cum aliis fabulis Bacchicis Indorum quoque cladem depictam fuisse finxisset, nisi olim in usu fuisset hoc argumentum artificibus; dicit autem haec (Pastoralium IV c. 3; p. 306 ed. Hercher): εἶχε δὲ καὶ ἔνδοθεν ὁ νεὼς Διονυσιακὰς γραφάς· Σεμέλην τίκτουσαν, Ἀριάδνην καθεύδουσαν, Λυκοῦργον δεδεμένον, Πενθέα διαιρούμενον. ἐπῆσαν καὶ Ἰνδοὶ νικώμενοι καὶ Τυρρηνοὶ μεταμορφούμενοι. πανταχοῦ Σάτυροι πατοῦντες, πανταχοῦ Βάκχαι χορεύουσαι κ. τ. λ.

Ac supersunt eiusdem pugnae in ectypis Romanae aetatis exempla nonnulla, quae composuit Stephani l. c. p. 186, n. 3 sq.

I Gerhard, *Antike Bildwerke* t. CIX 1.

II *Archaeologische Zeitung* 1845 t. XXX.

III Zoega, *bassirilievi di Roma* t. LXXV.

IV Bouillon, *Musée des antiques* uol. III *basrel.* t. 5 (= Clarac, *Musée de sculpture* 126, 362).

quae opera quamquam aetatis sunt longe inferioris, tamen, quoniam his demum temporibus argumentum illud celeberrimum adiisse artifices incredibile est, idem iam a superioris aetatis artificibus usurpatum esse mecum persuasum habebis nec dubitabis uasculorum pictori tertii fere saeculi ineuntis idem argumentum attribuere. qui si reuera cum Gigantomachia Indicam Liberi uictoriam composuit, temere hoc factum esse nemo mihi persuadebit. habemus igitur exemplum sat antiquum — epigonis scilicet qui uocantur fortasse aequale — belli Indici paullo ante ad Macedonum expeditionis imaginem a poetis primum celebrati atque exornati cum Gigantomachia compositi, ipsius belli illius idem testimonium antiquissimum; nam quae tradebantur apud scriptores rerum Alexandri M. regis ipsius comites aut aequales ea de dei expeditione uidentur fuisse ab armis pugnisque aliena.

Haec fere habui quibus demonstrarem, Indos Liberi aduersarios cum Gigantibus componere inde a primis Bassaricorum poetis quantopere in usu fuisset. quod si praestitisse tibi uideor, si iam contendam eadem comparatione usos esse qui Alexandri res gestas celebrarent poetas habebo te consentientem. scis enim quae et quanta inter utraque carmina intercesserit similitudo ac cognatio, quoniam, id quod iam saepius monuimus, ad Alexandri M. expeditionis exemplum Liberi expeditionem exornatam esse non una ratione constat (cf. Kamp, *de Ptolemaei Philadelphi pompa bacchica dissert.* Bonn. a. 1864 p. 14 sqq.).

Quid quod fuerunt quae ab aliis facta modo Libero modo Alexandro tribuerent? sic oppidi cui Ζεῦγμα nomen erat auctorem fuisse tradunt, qui primus hoc loco Euphrati pontem iniecisset, Liberum Pausanias, Plinius Dio Cassius Stephanus Byzantius Alexandrum. Pausanias enim haec X xxix 4: τὴν δὲ Ἀριάδνην ἢ κατά τινα ἐπιτυχὼν δαίμονα ἢ καὶ ἐπίτηδες αὐτὴν λοχήσας ἀφείλετο Θησέα ἐπιπλεύσας Διόνυσος στόλῳ μείζονι, οὐκ ἄλλος κατὰ ἐμὴν δόξαν, ἀλλὰ ὁ πρῶτος μὲν ἐλάσας ἐπὶ Ἰνδοὺς στρατιᾷ, πρῶτος δὲ Εὐφράτην γεφυρώσας ποταμόν· Ζεῦγμά τε ὠνομάσθη πόλις, καθ' ὅτι ἐζεύχθη τῆς χώρας ὁ Εὐφράτης, καὶ ἔστιν ἐνταῦθα ὁ κάλως καὶ ἐς ἡμᾶς ἐν ᾧ τὸν ποταμὸν ἔζευξεν ἀμπελίνοις ὁμοῦ πεπλεγμένος καὶ κισσοῦ κλήμασι. Plinius autem haec

tradit nat. hist. XXXIV 15, 150: ‘a robigine uindicatur (scil. ferrum) cerussa et gypso et liquida pice. haec est ferro a Graecis antipathia dicta. ferunt quidem et religione quadam id fieri et exstare ferream catenam apud Euphratem amnem in urbe quae Zeugma appellatur, qua Alexander Magnus ibi iunxerit pontem, cuius anulos qui refecti sint robigine infestari carentibus ea prioribus’. adde Dionis Cassii testimonium haec dicentis XL c. 17, 3: τῷ δὲ δὴ Κράσσῳ τὸν Εὐφράτην κατὰ τὸ Ζεῦγμα, οὕτω γὰρ ἀπὸ τῆς τοῦ Ἀλεξάνδρου στρατείας τὸ χωρίον ἐκεῖνο, ὅτι ταύτῃ ἐπεραιώθη, κέκληται, διαβαίνοντι καὶ προφανῆ καὶ εὐσύμβολα συνηνέχθη. Stephanus denique Byzantius sub u. Ζεῦγμα haec tradit: Ζεῦγμα πόλις Συρίας ἐπὶ τῷ Εὐφράτῃ, ὃν Ἀλέξανδρος ζεύξας ἁλύσεσι διεβίβασε τὰ στρατόπεδα. atqui Alexander, sicut Cyrus olim (Xenophont. exped. Cyri I 4, 11 sqq.) et paullo ante ipsum Alexandrum Dareus cum ad Issum descenderet (Arrian. exped. Alex. II 13) apud Thapsacum oppidum Euphratem traiecit exercitum (Arrian. exped. Alex. III 7 coll. Droysen, *Geschichte des Hellenismus*[2] I 1 p. 326 sq.). Zeugma autem oppidum Seleucus condidit primus Syriae rex cui Nicatori fuit cognomen: u. Plinium, nat. hist. V 24, 86 coll. Droysen l. c. III 2 p. 290.

Vides igitur rem a Seleuco gestam et ad Liberi et ad Alexandri fabulam translatam, quo magis appareat quae fuerit inter utramque cognatio. quam singillatim ostendere hoc loco supersedeo; nam sic quoque quam in carminibus Bassaricis demonstrasse mihi uideor Indorum cum Gigantibus comparationem eadem poetas qui Alexandri M. expeditionem Indicam celebrarent usos esse concedes. neque enim in Alexandrum cadit ea quam de Phidiae aequalibus protuli dubitatio, neque is hostes suos cum Gigantibus componi aut se ipsum cum dis immortalibus comparari uetabat qui Iouis Ammonis filius haberi uolebat. immo quam in carminibus illis fuisse coniecimus comparationem ei mirum quantum fauet quod ipsum Alexandrum cum dis — Libero scilicet et Hercule — comparasse, pro deo celebrasse eosdem poetas certissimum est. ansam autem comparationis praebuit mira Indorum de qua diximus proceritas; corporum enim magnitudo etiamtum erat potissimum qua ab hominibus Gigantas differre putarent.

Choerili igitur Cleonis Agidis Anaximenis Aeschrionis

aliorum carmina fons fuerunt unde posteriorum temporum usus ille manaret. quos poetas aut epicis carminibus Alexandri res gestas celebrasse constat, aut in certaminibus musicis ab Alexandro haud raro institutis (cf. Arriani exped. Alex. II v 8; III i 4; III v 2; III vi 2; VI xxviii 3; VII xiv 1; VII xiv 10 al.) regis laudes cecinisse uerisimile est [7]. habes coniecturam. quam utinam uno poetarum illorum uersiculo comprobare possem. sed funditus horum omnium pessumdedit poemata temporum iniquitas aut potius aequitas; nam merito ea quae scripta erant aut dicta ad temporis praesentis fauorem capessendum adulatorum carmina futurae aetatis gloria memoriaque posterorum priuauit fortuna meliorum poetarum seruatrix. inuenitur ea de qua coniecturam fecimus Indorum cum Gigantibus comparatio apud Pseudo-Callisthenem. sed hoc argumentum coniecturae meae apponere uix audeo, quamquam fabulosam illam historiam poetarum uestigia nonnumquam premere consentaneum est (u. Muelleri introduct. p. XXIV sq. coll. Rohde, *der griech. Roman* p. 185, 1) [8].

Vnum, nisi fallor, restat quo coniecturam meam confirmare possim. Plutarchus enim ubi Alexandrum ceteris regibus minus fausta secundaue usum esse fortuna contendit (περὶ τῆς Ἀλεξάνδρου τύχης ἢ ἀρετῆς A cap. x p. 341 D E) haec dicit Gigantas aperte appellans Alexandri aduersarios: ἐμοὶ μὲν οὐδεὶς βαρυτέρᾳ δοκεῖ κεχρῆσθαι τύχῃ τῶν βασιλέων, καίτοι πολλοῖς ἐνέπεσε σκληρὰ καὶ βάσκανος· ἀλλ' ὡς σκηπτὸς ἀπέκοψε τοὺς ἄλλους καὶ διέφθειρε, πρὸς δὲ Ἀλέξανδρον αὐτῆς τὸ δυσμενὲς γέγονε φιλόνεικον καὶ δύσερι καὶ δυσεκβίαστον, ὥσπερ πρὸς τὸν Ἡρακλέα. ποίους γὰρ Τυφῶνας ἢ πελωρίους γίγαντας οὐκ ἀνέστησεν ἀνταγωνιστὰς ἐπ' αὐτόν; ἢ τίνας οὐκ ὠχύρωσε τῶν πολεμίων πλήθεσιν ὅπλων ἢ βάθεσι ποταμῶν ἢ τραχύτησι κρημνῶν ἢ θηρίων ἀλκαῖς ἀλλοφύλων; quo loco hostes ab Alexandro uictos Typhonas et Gigantas me iudice non appellasset Plutarchus nisi frequenti poetarum usu familiarem hanc comparationem habuisset. tu si hac coniectura contempta Plutarchum ad comparationem illam perductum esse censes eo quod cum Hercule Gigantum uictore ipsum Alexandrum comparauerat, certe uides quam pronus sit ad illam is qui hanc in usu habeat. Alexandri autem cum Hercule comparationem iam ipsius regis aequalibus familiarem fuisse certissimum est, ac

multos in ea fuisse poetas nemo in dubium uocabit. itaque eosdem altera illa comparatione usos esse hac quoque ratione uerisimillimum esse apparet. a carminibus igitur quibus Alexandri M. res gestae celebrabantur originem duxit ac profectus est posteriorum poetarum usus: exemplo praeiuerunt poetae Alexandri M. praecones ac laudatores, secuti sunt omnes fere inferiorum temporum poetae regum aut imperatorum adulatores, eademque artifices usi sunt comparatione, postquam per carmina poetarum in usum hominum uenerat ac familiaritatem.

Commendatam esse comparationem eo quod et Alexander cum dis comparabatur et qui post eum fuerunt reges eadem fuerunt superbia, non semel monui. itaque dignum est memoratu, eum quem primum — si tacemus de loco Callimacheo — comparatione illa usum esse nouimus, Attalum scilicet, eundem ea quoque re Alexandri fuisse imitatorem quod nouus Bacchus esse uoluit aut Bacchi filius. exstant enim duo de Gallorum clade et de regio Attali nomine uaticinia, alterum Phaënnidis apud Pausaniam (X xv 2 sq.) alterum Pythiae apud Diodorum (excerpt. Vatic. p. 105, libri XXXIV et XXXV fr. 13: uol. V p. 105 sq. ed. Dindorf) et apud Suidam (s. u. Ἄτταλος) locupletissima huius rei testimonia. ac Phaënnis quidem uates Dodonaea his uerbis Attalum appellasse dicebatur:

Δὴ τότ' ἀμειψάμενος στεινὸν πόρον Ἑλλησπόντου
αὐλήσει Γαλατῶν ὀλοὸς στρατός, οἵ ῥ' ἀθεμίστως
Ἀσίδα πορθήσουσι· θεὸς δ' ἔτι κύντερα θήσει
πᾶσι μάλ' οἳ ναίουσι παρ' ἠιόνεσσι θαλάσσης.
εἰς ὀλίγον τάχα γάρ σφιν ἀοσσητῆρα Κρονίων
ὁρμήσει, ταύροιο διοτρεφέος φίλον υἱόν,
ὃς πᾶσιν Γαλάτῃσιν ὀλέθριον ἦμαρ ἐφήσει.

παῖδα δὲ εἶπε ταύρου τὸν ἐν Περγάμῳ βασιλεύσαντα Ἄτταλον addit Pausanias. idem alterum quod apud Diodorum l. c. et apud Suidam s. u. Ἄτταλος seruatur uaticinium commemorat his uerbis: τὸν δὲ αὐτὸν τοῦτον καὶ ταυρόκερων προςείρηκε χρηστήριον. Pythiae enim hoc tribuebatur responsum:

θάρσει, ταυρόκερως, ἕξεις βασιληίδα τιμὴν
καὶ παῖδες παίδων, τούτων γε μὲν οὐκέτι παῖδες.

neque Phaënnidis responsum ante Attali uictoriam neque Pythiae uaticinium ante tertii Attali tempora inuentum esse uix opus est monere. quae obscurior fortasse esset appellatio ταύροιο διο-

τρεφέος φίλος υἱός explicatur eo quod in altero uaticinio ταυρόκερως idem Attalus appellatur. ταυρόκερως enim Bacchus est; idem ταῦρος appellabatur nec non διοτρεφής erat prae ceteris dis, si quidem Iouis femore post Semelae matris mortem inclusus esse ferebatur. Bacchi igitur filius esse uoluit Attalus idem corniger, sicut ipse Alexander Ammonis filius cum cornibus arietis fingebatur[9]. quibus contentum eum fuisse uerisimile est: tauri cornua fortasse primus sibi arrogauit Seleucus Nicator, primus post mortuum Alexandrum Syriae rex, et ipse Alexandri imitator eo quod Bacchi similis esse uoluit. hunc cornutum uidemus in nummis (u. Eckhel, D. N. V. III p. 211), hunc artifices cornibus ornasse auctor est cum Libanio (Antiochici p. 301 ed. Reisk. uol. I) Appianus (Syr. c. 57), falsam idem huius ornamenti afferens caussam (cf. Ps. Callisthen. II c. XXVIII (cod. C) p. 85 ed. Muell.): neque enim propter corporis uires aut quod taurum manibus superauerat aliquando cornua sibi arrogauit sed propter Bacchi imitationem. eandem prae se ferebat Antigonus Asiae rex et ipse Alexandri διάδοχος, de quo Herodianus haec tradit (histor. I 3, 3): . . . Ἀντίγονος δὲ Διόνυσον πάντα μιμούμενος καὶ κισσὸν μὲν περιτιθεὶς τῇ κεφαλῇ ἀντὶ καυσίας καὶ διαδήματος Μακεδονικοῦ, θύρσον δὲ ἀντὶ σκήπτρου φέρων. cf. Eckhel l. c. II p. 118. secutus est filius Demetrius Poliorcetes, de quo haec exstant Plutarchi et Diodori testimonia: Plut. uit. Demetr. c. II: . . . μάλιστα τῶν θεῶν ἐζήλου τὸν Διόνυσον, ὡς πολέμῳ τε χρῆσθαι δεινότατον εἰρήνην τε αὖθις ἐκ πολέμου τρέψαι καὶ πρὸς εὐφροσύνην καὶ χάριν (scr. χαρὰν) ἐμμελέστατον. Diod. Sic. XX c. 92: . . . καὶ τὸ σύνολον ἐζήλου τὴν μυθολογουμένην ποτὲ γενέσθαι κατ' ἀνθρώπους τοῦ Διονύσου διάθεσιν, κατὰ δὲ τοὺς πολέμους ἐνεργὸς ἦν καὶ νήφων, ὥστε παρὰ πάντας τοὺς ἐργατευομένους ἐναγώνιον παρέχεσθαι τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν. idem in nummis apparet tauri cornu ornatus u. Eckhel l. c. II p. 120 sqq. cf. Visconti, *Iconographie grecque* II p. 58, t. XL 3 sq. noui Bacchi et nomen et insignia post hos sibi assumpserunt praeter Attalum cum Antiochus VI Epiphanes (cf. *Catalogue of Coins in the British Museum. Seleucid kings of Syria* p. 66, n. 42—48) tum Ptolemaeorum Aegyptiacorum nonnulli, uelut Ptolemaei XI et XII (cf. Eckhel l. c. IV p. 21 sq.), quibus hac re Antonius triumuir cedere noluit. sed pluribus hanc rem persequi ad eam quam instituimus disputationem non pertinet; satis

enim apparet hanc Bacchi imitationem uel maxime in usu fuisse eis qui Alexandrum M. exceperunt regibus (cf. Welcker, *Griechische Götterlehre* III p. 311 coll. II p. 625). quam cum procul dubio ab ipso Alexandro quasi hereditate acceperint, eam quam hac ipsa dei imitatione commendatam esse apparet et cum ea coniunctam fuisse uerisimile est hostium superatorum cum Gigantibus comparationem ab eodem Alexandro accepisse posteriorum temporum reges, lubentius mihi credes.

Haec fere habui quae de mortalium uictoriis cum Gigantomachia comparatis disputarem. iam paucis colligere mihi liceat ea quae praestitisse mihi uideor. nam ab ea quam Gigantomachia et clade Gallorum compositis Attalus significauit comparatione profectus, postquam eandem comparationem a superiore aetate alienam fuisse demonstraui, quotquot in litteris aut in artis operibus exempla inueneram composui atque examinaui, originem denique comparationis inuestigaui, quae ex carminibus eorum ducta esse uidetur qui cum ceteris Alexandri M. rebus gestis expeditionem Indicam celebrauerunt, poetarum scilicet non tam artis elegantia quam argumenti grauitate insignium, qua factum est ut multorum saeculorum poetis adulationis formulam praeirent, quamquam ipsorum opera olim perierunt.

Adnotationes

I

1 (ad p. 5) Iam nemo Plutarchum (uit. Antonii c. 60) de eodem monumento loqui negabit. his duobus testimoniis tertium addidit Buecheler Itinerarii quod dicitur Godofrediani uerba: 'Athenas uero et historias antiquas et aliquid dignum nominatu arcem ubi multis statuis stantibus mirabile est uidere dicendum antiquorum bellum' (in C. Muelleri Geographis Graecis minor. vol. II p. 524 cf. Buecheler Mus. Rhen. XXVII p. 476). uerba extrema ex graecis τὸν λεγόμενον τῶν παλαιῶν πόλεμον uersa esse cui non probabile uidebitur? quis non concedet uerborum illorum et loci illius Pausaniae similitudinem? neque ego facere possum quin ad ipsum illud monumentum Itinerarii uerba referam; Kluegmanni enim coniectura, de statuis in fronte templi ipsius positis scriptorem illum loqui (u. *Arch. Zeitung* 1876 p. 36 sq.), displicet non una de caussa. tamen quotienscumque hanc rem mecum uolui, similitudinem quae apparet inter Pausaniae uerba et Itinerarii locum casui tribuendam esse mihi persuadebam. rem pluribus persequi non est huius loci. hoc tantum monendum est, Adolfi Michaelis coniecturam quamuis speciosam παλαιῶν in Γαλατῶν corrigentis (u. *Pausaniae descriptio arcis* ed. II p. 20) sat grauibus argumentis posse refelli.

2 (ad p. 5) Sit uenia uerbo, quo, si ἀμάρτυρον οὐδέν dicere licet, uti non debebam; sed uerbo 'symplegma' utitur Plinius (nat. hist. XXXVI 5, 24; 35); itaque hoc quoque uerbum excusabit sermonis egestas, quamquam ne Graecos quidem testes habeo.

3 (ad p. 5) Gallos Antiochi Hieracis socios fuisse cum ab Attalo uincerentur, cum alii suspicati sunt (cf. Meier, *Pergamenisches Reich* in Erschii et Gruberi Encyclopaediae sect. III uol. XVI p. 358) tum Vdalricus Koehler nuper ita ostendit ut dubitandi nullus iam locus sit (u. Sybelii *Historische Zeitschrift* a. 1882 p. 1 sqq.). haud paucas Attali cum Gallis Antiochoque fuisse pugnas apparet ex inscriptionum fragmentis nuper Pergami repertis. celeberrima illa pugna num ea fuerit quae in inscriptione inuent. n. 96 (ἡ ἐπὶ τοῦ) ΚΑΙΚΟΥ ΠΟΤΑΜΟΥ appellatur (u. Wilamowitz, *Antigonos von Karystos* p. 158), dubium est. fortasse ea potius fuit quam apud Veneris templum commissam esse ex inscriptione C. I. Gr. II n. 3536 (cf. inscr. inuent. II n. 66: *Vorläuf. Bericht* II p. 46)

discimus; nam si nullus addebatur locus, id quod propter litterarum numerum uerisimile est, de Veneris templo apud ipsum oppidum sito (cf. Liu. XXXII 33 coll. XXXI 46) cogitandum est; prope oppidum autem pugnam commissam esse constat ex Trogi prologo l. XXVII; nec uerisimile est pluriens tam prope ad urbem hostes accessisse. — hoc loco animaduertere iuuat, in illo quoque titulo quo pugna apud Caicum fluuium commemoratur Antiochum nominatum fuisse; priorem enim uersum paucioribus quam Conze (*Vorläufiger Bericht* I p. 80) supplere non poteris, tamen huic, cuius reliquae sunt tredecim litterae, duodecim addit uir doctissimus, posteriori, cuius restant quattuordecim, sex tantum addit, ita ut in fine uersus posterior una littera longior sit uersu priore, initio sex litteris breuior. si addis Antiochi nomen uersus posterior initio quoque praecurrit priorem: non una tamen sed quinque litteris, ita ut uersus prioris supplementum rursus in dubium uocetur.

4 (ad p. 6) De tempore quo donum dedicauerit Attalus nil constat. erunt fortasse qui coniciant, dono illo magnificentissimo Attalum gratiam rettulisse Atheniensibus pro honoribus quibus ipsum, cum Athenis uersaretur anno a. Chr. n. 200, cumulauerant. quibus in honoribus summus erat quod inter ἥρωας ἐπωνύμους eum esse iusserunt (u. Polyb. XVI 25). neque obstaret huic coniecturae quod uictoriam quam de Gallis ante annos tantum non quadraginta consecutus erat hoc opere celebrauit; nam illam uictoriam omnium pulcherrimam tum quoque eum habuisse uerisimile est. grauius mihi uidetur esse quod extremis Attali annis bellando consumptis neque tempus uidetur fuisse neque otium quo opera tam ampla perficerentur. quam ob rem magis mihi arridet ea quam supra proposui coniectura, ut paucis annis post uictoriam monumenta illa dedicata esse uideantur. tertium, si quid uideo, non datur: nam tantae munificentiae occasionem ansamque non fuisse nemo suspicabitur. itaque Athenienses Attalum, cum senex urbem uiseret, tanto gaudio salutarunt, tantis honoribus prosecuti sunt non solum quod Graecorum liberator et uindex uidebatur esse sed etiam quod ipsorum urbem operibus tam magnificis ornauerat. eadem qua pater filius quoque Attalus erga Athenienses fuit munificentia, qui porticum in Ceramico aedificauit amplissimam (cf. Adler, *die Stoa des Koenigs Attalos II zu Athen: Zeitschrift für Bauwesen* 1875 p. 17 sqq.).

Aliorum huius aetatis regum in Athenienses beneficia enumerare non est huius loci. liceat tantum Demetrii Poliorcetis amorem et studium Atheniensium in memoriam reuocare: multi cogitasse uidentur de Atheniensibus idem quod Iulius Caesar dixisse fertur: ὅτι πολλὰ ἁμαρτάνοντες ὑπὸ τῶν νεκρῶν σῴζοιντο (Dion. Cass. XLII 14, 2).

5 (ad p. 7) Sic M. H. E. Meier, *Pergamenisches Reich* in Encyclopaedia Halensi sect. III uol. XVI p. 364. ‘ . . . *die vier Bildwerke, mit denen Attalos die Akropolis Athens schmückte, welche sich auf der südlichen Mauer derselben befanden, wovon drei Athens Ruhm verherrlichten, die Gigantomachie, den Amazonenkampf und die Schlacht bei*

Marathon darstellten, eins, ‘die Niederlage der Gallier in Mysien’, seiner eigenen Ehre geweiht war’. uide praeterea quae dixerunt Bursian in Encyclopaedia Halensi sect. I uol. LXXXII p. 483; Conze, *Zeitschr. f. bildende Kunst* VII 1872 p. 328; Kluegmann, *die Amazonen* p. 81 sq. Gallorum cladem cum Gigantomachia, pugnam Marathoniam cum Amazonomachia coniungendam esse docuit Friederichs (*Bausteine* p. 322), sed aliis rationibus commotus; argumentis non indicatis Stark (*Niobe und die Niobiden* p. 112): ‘*Hierbei entsprechen sich sichtlich Amazonen- und Perserkampf, Giganten- und Gallierschlacht*’.

6 (ad p. 9) Dum plagulas corrigo uenit in manus diarii archaeologici a. 1882 fasc. IV: duobus illis de quibus dixi sententiae suae argumentis tertium Michaelem iamdudum addidisse (*Academy* 1880 n. 441 p. 281), quo res absoluitur, nunc demum uideo (l. c. p. 384 n. 17).

7 (ad p. 11) Haec si uere disputaui, unum tantum restat artis plasticae quae fuit ante Alexandri M. aetatem in ipsa Graecia opus quo hominum pugna ficta sit: zophorum dico aediculae quae in arce Athenarum est Mineruae Victoriae. at pictores haud raro illis temporibus hominum pugnas celebrarunt. ut de Bularcho taceam, Cimonis aetate Pisianactis quae dicebatur porticum pugnae Marathoniae pictura ornatam esse uidimus; notae sunt praeterea Androcydis Aristidis Euphranoris opera. casui hoc tribuendum esse unus quisque dies docere potest nostra potissimum aetate, qua alia post alia artis opera fauente fortuna terrae inuidiosae eripimus. sed interim coniecturae periculum facere licet. ars plastica antiquitus cum templis deorum coniuncta fuit; nulla erant usque ad Alexandrinorum quos uocamus tempora artis illius opera praeter donaria aut ipsorum templorum ornamenta. superbiae et impietatis habebant superioris illius aetatis homines ipsorum aut patrum facinora sacro loco celebrare. pingendi ars cum cultu deorum minus arte coniuncta erat: porticus publicas picturis ornabant. ibi patrum uictorias arte pingendi posterorum tradere memoriae nulla uetabat religio. Thesei templum cum picturis exornarent, cum Amazonomachia non componebant pugnam Marathoniam, quamquam huius quoque Theseum participem fuisse credebant (cf. Pausan. I XV 3), sed in ipsius herois facinoribus pingendis se continebant. quae sententia non conuellitur, opinor, eo quod unum illud exstat quod identidem commemorauimus pugnae mortalium in opere anaglypho exemplum. si Iouis esset aedicula illa aut Mineruae Poliadis, de ea quam proposui explicatione desperarem; sed Victoriae est Mineruae: Herculis templum herois ipsius facinoribus exornabant, deae Victoriae quoque templum ipsius deae facinoribus ornauerunt. an non ipsius deae illius facinus uideri poterat hominum uictoria? num pulcrius dea celebrari poterat quam uictoria ante oculos hominum posita quae donum eiusdem uidebatur esse?

II

1 (ad p. 13) Idem Callimachus hymni in Iouem u. 79 sq. reges diuinos Iouis filios appellat:

ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπεὶ γένος οὐδὲν ἀνάκτων
θειότερον·

tum Ptolemaeum opibus a Ioue datis ceteros reges longe superare dicit, nimirum Iouis beneficiis dignissimum (u. 85 sq.). de Philadelpho quin haec intellegenda sint equidem nullus dubito. nec sine tacita Ptolemaei fratrumque eius, scilicet Ptolemaei Cerauni et Magae, significatione uersus 61 sqq. dictos esse mihi persuadeo (cf. Droysen, *Epigonen* I p. 266, 1). quod nulla est Iouis et Iunonis matrimonii commemoratio, qua utitur Theocritus XVII u. 131 sqq., num iure argumento sit Droyseno, ante Philadelphi Arsinoaeque sororis nuptias hymnum compositum esse, dubito. Ptolemaei Philadelphi cum Apolline comparatio in usu uidetur fuisse (cf. Theocrit. XVII u. 66 sqq.). sed Euergeten quoque cum Apolline componit Callimachus h. in Apoll. u. 25 sqq. itaque utrius porticus fuerit quam Halicarnassenses Apollini et regi Ptolemaeo dedicauerunt (uide titulum: Newton, *a history of discoveries at Halicarnassus, Cnidus and Branchidae* p. 689 sq. n. 3) dubium est (cf. Vsener in Mus. Rhen. uol. XXIX 1874 p. 49). de Ptolemaeis Apollinem Delium colentibus haud pauca exstant testimonia inscriptionum potissimum (cf. Homolle, *Bulletin de corresp. hellénique* uol. II 1878 p. 327 al.).

De hymni in Iouem tempore uide nunc Couat, *la poésie Alexandrine sous les trois premiers Ptolémées* p. 200—208.

2 (ad p. 14) Testimoniorum de peplo panathenaico post Boeckhium (*Gr. trag. princ.* p. 193 sqq.) ab Adolfo Michaelis collectorum (*der Parthenon* p. 328 sq.) CLIV, CLX, XXVI, CLVII; sunt autem haec: Schol. in Aristoph. Equitum u. 566 (= Suid. s. u. πέπλος) . . . καὶ τοῦ πέπλου· οὗ ἐγέγραπτο Ἐγκέλαδος, ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ. ἦν δὲ εἷς τῶν Γιγάντων κ. τ. λ. — Procli comm. in Plat. Tim. p. 26 ὁ τῶν Παναθηναίων πέπλος ἔχει τοὺς Γίγαντας νικωμένους ὑπὸ τῶν Ὀλυμπίων θεῶν. — Schol. in Plat. Rei publ. p. 327 A . . . πέπλος τις ἀνήγετο τῇ Ἀθηνᾷ, καθ' ὃν ἐδείκνυτο ἡ κατὰ τῶν Γιγάντων ταύτης καὶ τῶν Ὀλυμπίων νίκη θεῶν. — Schol. ad ipsum illum de quo agimus locum Euripidium Strattidisque testimonium a scholiasta seruatum: ad u. 468 . . . . ὅτι δὲ κρόκινός ἐστι καὶ ὑακίνθινος καὶ τοὺς Γίγαντας ἐμπεποίκιλται δηλοῖ Στράττις (procul dubio in Macedonibus, quorum exstat fragmentum apud Harpocrationem (Phot. Suid. Etym. M.) s. u. τοπεῖον: fragm. com. gr. ed. Meineke uol. II p. 772 cum scholiorum Euripidiorum testimonio coniungendum u. com. att. fragm. ed. Kock I p. 731, fr. 69), ad u. 469 ἔθος ἦν ἐν Ἀθήναις

ὑφαίνειν τὰς παρθένους τῇ Ἀθηνᾷ πέπλον ἔχοντα τὰς ἀριστείας τῆς θεοῦ πολεμικῆς οὔσης, καὶ ἃ κατὰ τῶν Γιγάντων κατεπράξατο μετὰ τοῦ Διὸς κ. τ. λ., ad u. 471 ἐνεποίκιλλον δὲ τῷ πέπλῳ καὶ τὴν γιγαντομαχίαν, ἐπεὶ διὰ τὴν τῆς Ἀθηνᾶς ἰσχὺν κατωρθώθη . . . . τὴν γιγαντομαχίαν· τούτους γὰρ πολεμήσασα ἐνίκησε. σημαίνει ὅτι Τιτᾶνες καὶ γίγαντες οἱ αὐτοὶ ἐλέγοντο.

Vnum restat testimonium (CLXVIII Michaelis) Ciris pseudouergilianae u. 29 sqq.

. . . Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae,
Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis,
Horrida sanguineo pinguntur proelia cocco,
Additur aurata deiectus cuspide Typhon,
Qui prius Ossaeis consternens aethera saxis
Emathio celsum duplicabat uertice Olympum.

quo loco caue ne quidquam discere tibi uidearis nisi quod Gigantomachia picta fuit in peplo. neque enim Typhon inter Gigantas fuit, neque hi picti erant montibus coaceruatis caelum affectantes; poeta eodem modo peplum describit quo Philostrati imagines suas: non artificum opera in animo habet sed poetarum carmina. nam quis umquam artifex homines anguipedes per montes ad sidera exstructos caelum petentes fecit? Typhonem autem nisi anguipedem numquam fecerunt artifices. adde quod pepli panathenaici pictura ab antiquis temporibus, qua fuit ars Graecorum tenacitate et constantia in sacris potissimum operibus, per saecula tradebatur ita ut uix ulla res mutaretur. scimus autem ante Alexandri M. aetatem neque Aloidas neque Typhonem cum Gigantibus coniunctos esse ita ut ab illis pugnandi modus, ab hoc corporis natura ad Gigantas transferretur. de qua re accuratius disputare non est huius loci. cf. p. 64 adn. 4.

Ceterum Euripides de eodem peplo uerba faciens eodem modo Titanas pro Gigantibus posuit: Iphig. Taur. u. 224 Kirchh.

3 (ad p. 16) Ouidii Tristium II 71 sq. — Ceterum apparet errasse eos qui suam quae superest Gigantomachiam hac praefatione significasse Claudianum putauerunt.

4 (ad p. 19) Sunt autem hi: Tristium I 1, 72; 9, 21 sq. — II 179 sq. — IV 5, 6; — V 2, 53; 3, 31. — ex Ponto I 2, 128; 7, 46; II 2, 118. III 2, 9. — cf. Tristium III 4, 6. addendi sunt loci quibus attonitum se ipsum appellat hi: Tristium I 5, 3; V 4, 37; ex Ponto I 6, 12; II 3, 90; III 6, 47.

5 (ad p. 19) Tristium I 3, 11 sq. — II 33 sqq. 143 sq. — IV 8, 45 sq. 9, 14. — V 14, 27 sq. — ex Ponto III 6, 17 sq. 27 sq. cf. adnotationem superiorem.

Caesar cum Ioue Neptuno Cerere Baccho componitur: ex Ponto II 9, 23—34. Tiberio Caesari nec docti nec principis artes deesse praedicat, sed animo eius cum Ioue Musam mixtam esse: ex Ponto IV 8, 77 sq.

6 (ad p. 22) Omisi omnes locos quibus aut deum appellat Au-

gustum aut inter deos habet aut cum dis comparat. quos cum proponere et longum et superuacaneum sit, ne rem imperfectam relinquere uidear, enumerabo. ac primum quidem de deo loquitur Augustum intellegens his locis: Tristium I 1, 20; 2, 12 cf. u. 4; 3, 40; 4, 22; 5, 38; 75 (cf. 2, 11 sq.); 10, 42.

II 54 (*per te praesentem conspicuumque deum*);

III 1, 78 (*maxime diue*); 2, 28; 5, 26; 7, 14;

IV 4, 19 sq. (cf. supra p. 19); 45; 88; 5, 20;

V 2, 35; 4, 19; 22; 8, 22; 11, 26; 12, 14.

ex Ponto I 1, 48; 2, 73; 4, 44; 6, 46;

II 3, 68; 8, 76;

III 6, 23;

IV 3, 56; 13, 24.

subiungam eos locos quibus Augustum cum uxore filio nepotibus deos appellat. sunt autem hi: Tristium I 1, 71; dicit enim haec (u. 69 sqq.);

forsitan exspectes, an in alta palatia missum
scandere te iubeam Caesareamque domum?
ignoscant augusta mihi loca dique locorum *etc.*

nec tamen aduersabor, si quis de solo Augusto haec intellegenda esse censebit; nam uersu quoque septuagesimo quarto solum Augustum intellexerim dicente Nasone: '*timeo qui nocuere deos*'; nec non Tristium V 9, 12 de uno Caesare dicit amico nescio cui: '*gratia post magnos est tibi habenda deos*'. adde ex Ponto eleg. I 1, 26; 29; 77 (cf. 6, 26; 9, 23); II 1, 48 (cf. 2, 12; 124 sq. III 1, 100; 2, 18); IV 8, 3; 9, 39; (cf. 15, 4). contra non dubitari potest de loco qui est ex Ponto eleg. I 4, 55 sq.:

. . . Turaque Caesaribus cum coniuge Caesare digna,
Dis ueris, memori debita ferre manu.

item II 2, 124 sq. de Augusto eiusque domo intellegendi sunt, nec non eiusdem libri elegiae octauae loci complures: u. 2; 8; 9; 52; 56; 58. de III 1, 100 dubito an de solo Augusto intellegendus sit; uix dubitari potest de III 5, 54 quin de tota domo dictus sit. eandem '*Augustos deos*' appellat III 6, 16. rursus de solo Augusto intellego IV 8, 3; 9, 39. de Augusto ac Tiberio, sed illo iam mortuo: IV 15, 3 sq. inter deos habetur Augustus locis hisce: Tristium I 1, 32; 9, 4 (de utroque tamen loco dubitari potest an de Augusto solo intellegendus sit); III 1, 77 sq.; 2, 27 sq.; 13, 23; IV 1, 46; V 3, 13; 45 sq.; 9, 21; cf. 11, 25 sq.

Ibidis u. 23 sq.

ex Ponto eleg. I 1, 26; 63; 2, 99; 6, 26; 9, 23;

II 2, 12; III 1, 161 sqq. (quo loco Augustum '*progeniemque piam participemque tori*' inter deos habere iubet uxorem, quibus sacrificium faciat); IV 4, 33 sq. 12, 39; 15, 23; cf. 15, 4.

cf. ex Ponto IV 5, 26; 8, 22 sq. (quibus locis Germanicum a Sexto Pompeio et a Suillio deorum in numero haberi dicit).

Non omnes locos significaui, de quibus dubitarem, an de solo Augusto accipiendi essent, quoniam omnes supra enumeraui.

Venio ad eos locos quibus cum dis comparatur Augustus; quos inueni hosce:

Tristium I 2, 4; II 22; 184; IV 8, 45 sqq.; 52.
ex Ponto I 1, 63; 2, 120; II 1, 9 sq.; 2, 94; III 6, 23.
cf. Tristium II 141. ex Ponto I 1, 55 sq.

Iuuat adiungere eos locos quibus de numine Augusti loquitur poeta. sunt autem hi: Tristium I 1, 47; 5, 44; II 107 sq.; 573; III 5, 26; 6, 23; 8, 13; IV 8, 50; V 2, 45; 3, 46; 4, 17; 10, 52; 11, 20.

ex Ponto I 2, 75; 107; 10, 42; II 1, 15 sq.; 47 (cf. 2, 14); 2, 43; 111; 8, 6; 10; 15; 38 (de Tiberio Caesare); 51; 67; III 1, 97; 163 (cf. 6, 21); IV 6, 10; 8, 23 (de Germanico Caesare); 30 (de eodem); 90 (de Tiberio Augusto); 9, 52; 108 (de Tiberio et Liuia Augusta: '*numina iam facto non leuiora deo*' cf. u. 132 de diuo Augusto; item 13, 24; 26); 15, 24 (de diuo Augusto ac de Tiberio?). — cf. Fastorum I 6 etc. de Germanico Caesare. quibuscum conferendus est ex Ponto I 9, 49 sq. (coll. u. 35 sq.), quo Maximum a Celso pro numine habitum esse eodemque ritu cultum esse dicit quo ipse deos terrarum dominos coleret.

Caelestem appellat Augustum etc.: Tristium I 3, 37; II 213 (cf. ex Ponto I 1, 55.); 2, 76; II 8, 15; III 1, 120; 5, 53 (cf. 6, 21); IV 11, 3; 8, 89 (de Tiberio Augusto) cf. II 5, 53 (de eodem Caesare etiamtum).

7 (ad p. 22) Sed cum uictoria Phlegraea et Bacchi expeditione Indica idem Domitiani bellum compouit quodammodo:

Quos cuperet Phlegraea suos uictoria ludos,
  Indica quos cuperet pompa, Lyaee, tuos,
Fecit Hyperborei celebrator Stella triumphi,
  O pudor, o pietas, et putat esse parum.

recte fortasse de Herculis, non de Iouis uictoria Phlegraea cogitant interpretes.

8 (ad p. 22) Domitianus Augustus cum Ioue componitur: I VI 6; IV I 1 sq.; V LXIII 5 sq.; VI LXXXIII 3 sqq.; VII LX; VIII XXIV 3 sq.; XXXIX 5 sq.; IX III (Iuppiter Caesaris debitor); XVIII 7 sq.; XX 5 sqq.; XXIV 1 sqq.; XXXIX 1 sq.; LXXXVI 7 sq.; XCI; CI 24; cf. IV III 3.

Idem Iuppiter aut Tonans appellatur IV VIII 12 (*Iouem*); V VI 9 (*Iouis*); VI X 9 (*nostri Tonantis*); VII LVI 4 (*a nostro Tonante*); XCIX 1 (*Tonantem*); IX XXIV 3 (*Iouis*); XXVIII 10 (*Romae Iouis*); XXXVI 2 (*alterius Iouis*); XXXIX 1 (*Palatino Tonanti*); LXXXVI 7 (*Tarpeium Palatinumque Tonantem*); XCI 6 (*meus in terris Iuppiter*); XIV I 2. (*nostrum Iouem*).

Vide praeterea VI LXXXIII 3, ubi de Domitiani quasi Iouis fulminibus loquitur; VII I 3 sq., ubi loricam Caesaris quasi Iouis sacro pectore sedentem aegida fieri dicit, quocum conferas uelim XIV CLXXIX, ubi Mineruam argenteam interrogatam, quare aegida non haberet, facit respondentem '*Caesar habet*': subit animum nummorum memoria, in quibus inde a Nerone persaepe aegide armatos uidemus imperatores, omnium autem longe frequentissimum Domitianum.

Martem togatum appellat Domitianum VI LXXVI 1. eundem Phoebo Dianae Herculi Mercurio tamquam exemplum pietatis proferentem facit Iouem: IX XXXIV. cum Hercule Augustus comparatur V LXV; IX LXIV sq.; CI. Domitianum an Titum putemus comparatum cum Ioue lib. spect. XVI b., cum Hercule lib. spect. VI b dubitamus cf. *Friedländer*, *Sittengeschichte Roms* III[5] p. 425 sq.

Subiungere iuuat eos locos quibus deum appellat Domitianum; sunt autem hi: IV I 10; V III 6; V 2; VIII 1 (*domini deique nostri* cf. Sueton. uit. Domitiani c. XIII); VII II 6 (*nostri dei*); V 3; VIII 2; XXXIV 8 (*domini deique nostri*); VII XL 2; XCIX 8; VIII II 6 (*terrarum domino deoque rerum*); VIII 6 (cf. XXIV 5 sq.; XXXVI 12); LXV 6; LXXII 3; IX XXVII 8; LXV 2; LXVI 3 (*a nostro dominoque deoque*); LXXXVI 10; XCIII 3; 8; XIII, LXXIV 2.

De libri spectaculorum epigrammatis XVII u. 4 eadem est quae de plerisque huius libri epigrammatis dubitatio; Titus enim num eadem qua Traianus fuerit adulationis neglegentia aut detestatione nescimus; de Traiano autem animaduertendum, quod nullus ex omnibus quos contulimus locis de hoc imperatore intellegendus est, quo regnante nullum iam locum fuisse blanditiarum testis est ipse Martialis X LXXII:

Frustra Blanditiae uenitis ad me
Attritis miserabiles labellis.
Dicturus dominum deumque non sum.
Iam non est locus hac in urbe uobis *etc.*

tres restant loci, unus VI LXXVII, quo cum dis componitur Domitianus quasi deus, duo quibus de Domitiano post mortem caelum intrante loquitur: V LXV 15 sq.; VIII XXXIX 5 sq. cf. XIII IV.

9 (ad p. 27) Sic enim '*superbos Tarquini fasces*' dictos esse censeo ut non tam regis odiosi memoriam poeta reuocaret quam uiri qui tyranni superbiam uindicasset, primo liberae rei publicae ciui extremum opponeret. cui interpretationi fauet, nisi fallor, quod nisi in malam partem '*superbi fasces*' uix possunt intellegi. Kiessling autem quae de culpa et expiatione, de crimine et uindicta excogitauit (*Philol. Untersuch.* II p. 102), ea ex Pindari carmine translata cum Horatiani carminis argumento non conuenire apparet (cf. Pluess, *Horazstudien* p. 84 sq.). contra de ceteris clarorum uirorum nominibus (u. 37—44) laudo Kiesslingii iudicium, qui earum uirtutum exempla proferre arbitratur poetam quibus depranatum aequalium genus maxime carere putauerit, amoris patriae scilicet mortem despicientis et morum simplicitatis ac frugalitatis.

10 (ad p. 28) Confirmat autem Bentleii coniecturam sermonis latini usus, qui uerba 'proeliis audax' cum Libero, qui sequitur, coniungi uetat propter insolentem atque inauditam quae exsisteret coniunctionis quam uocant positionem, in qua neminem fere interpretum haesisse miror. unus qui difficultatem animaduertisse uidetur Nauck insolitam uerborum positionem testimonio prorsus alieno comprobare studet (c. I XV u. 35 sqq.).

qui emendationem haud dubiam neglexerunt quod epitheton illud, si cum Pallade coniungeretur, ineleganter claudicare putarent, conferant uelim carminis secundi u. 49, quo uerbum 'tollat' non elegantius claudicare concedes, scilicet in proximae strophae initio positum, cum huius metri strophae propter exitum logaoedicum magis circumscriptae sint.

11 (ad p. 28) Omnia quae in promptu sunt de Minerua, nedum de Ioue testimonia huc conferre longum est. de Minerua praecipua Iouis socia u. Euripid. Ion. 1528; Aristid. or. II p. 15 Dind. cf. biblioth. ps. Apollod. I 6, 2, 3; Claudiani Gig. gr. u. 35 sqq ; Gig. lat. u. 41; u. 91 sqq.; Sidon. Apollin. c. VI (II Baret) u. 15 sqq. al.

De Baccho uide praeter Nonnum (Dionys. XLVIII u. 1—89 cf. I u. 16 sqq.; XXV u. 87 sqq.; u. 244 sq.; u. 205 sqq.) Euripidem in Cyclope (u. 5 sqq.) Horatium (c. II XIX u. 21 sqq.) bibliothecam ps. Apollod. (I 6, 2, 2) Eratosthenem in Catasterismis (p. 92 sq. ed. Robert) Diodorum (III 70, 6 coll. IV 15, 1) cf. Castor. chron. fragm. I, p. 156 Muell.; Schol. Pind. Nem. I u. 67. — accedunt artis testimonia haud pauca. fortasse Bacchum habemus γιγαντομάχον in metopa templi quod fuit Selinunte (F), Benndorf t. VII., habemus in metopa Parthenonis earum quae ad orientem spectant II (Michaelis t. 5); fuit teste Euripide in metopa templi Delphici: Euripid. Ion. u. 217 sq.; fuit in Gigantomachia de qua supra diximus Attalica: Plutarchi u. Antonii c. LX; exstat in Gigantomachia arae Pergamenae: *Vorläufiger Bericht* I p. 53. adde uasculorum testimonia. ac primum quidem de uasculis figuris nigris ornatis u. Ouerbeckium, *Kunstmythologie des Zeus* p. 354; uasculorum autem figuris rubris ornatorum in numero (cf. Ouerbeck l. c. p. 373) tria potissimum sunt in quibus Bacchum uidemus ceterorum deorum in Gigantomachia socium: uas prope Lupatiam (quae nunc Altamura uocatur) repertum: Heydemann, *Gigantomachie auf einer Vase aus Altamura* (Halle 1881); cum Ioue Iunone Minerua Apolline Diana (?) Liberum patrem consociatum uides eumque barbatum hedera uel pampino coronatum chitone et pelle amictum uite et taeda (? Heydemann p. 7 sq.) armatum cum panthera pugnantem. in patera Vulceis reperta, quae est apud Luynium, *Description de quelques uases peints* t. XIX sq. (= Gerhard, *Trinkschalen* t. AB), Bacchus pictus est barbatus dextra hastam tenens sinistra uitem, cuius ramis implicatur aduersarius et quasi irretitur; Liberum in hoc uasculo uides eo loco quem Ioue non indignum putares, medius enim incedit, hinc Apolline Minerua illinc pugnante, altera autem paterae parte Neptunum exhibente cum Vulcano et Apolline (? Bacchi enim socium pro Apolline Mercurium appellare dubito, ita ut aut Apollinem bis pictum esse putem, ut est Neptunus, aut huic Dianae nomen reddam, id quod minus probabile uidetur esse). tertium est in quo Liberum ceterorum deorum socium cum Gigantibus uidemus pugnantem uas pulcherrimum Meli in insula repertum (*Monuments publiés par l'association pour l'encouragement des études grecques en France* n. IV 1875) a ceteris omnibus non hac una re diuer-

sum quod Bacchum habet iuuenem in bigis pantherarum taenia coronatum thyrsum dextra uibrantem taedam tenentem sinistra.

Accedunt uascula quae solum Liberum habent pugnantem, de quibus uide Stephanium, *Compte-rendu* a. 1867 p. 186 sqq. coll. p. 172.

Testimonia denique grauissima de Libero Gigantomachiae participe omnia sunt satyrorum armatorum exempla, qui haud raro occurrunt in uasculis pictis. de qua re infra disputandum erit.

12 (ad p. 28) De Diana uide bibliothecam ps. Apollodor. I 6, 2, 5. Claudiani Gig. lat. u. 40 sq. artis testimonia exstant, praeter dubia metopae templi Selinuntii (Benndorf t. V) et metopae Parthenonis XII (Michaelis p. 147), certa Gigantomachiae Pergamenae (*Vorläufiger Bericht* I p. 57) et fragmenti Vaticani (*Museo Chiaramonti* t. I 1808 t. XVII, Pistolesi, *il Vaticano descritto* 1829 uol. IV, t. 94, Stark, *Gigantomachie auf antiken Reliefs* etc. t. I), satis multa uasculorum pictorum. de quibus uide Ouerbeckium, *Kunstmythologie des Zeus* p. 355 et p. 373, adde uas prope Lupatiam repertum: Heydemann, *Gigantomachie auf einer Vase aus Altamura* (cf. p. 10 sq.) et uas Meli in insula repertum (*Mon. gr. publ. par l'assoc. p. l'encour. des études gr. en France* n. IV 1875).

De Apolline uide bibliothecam I 6, 2, 2 et Claudiani Gig. lat. u. 34 sq., u. 39, u. 114 sqq., u. 125 sqq. praeterea testis est Pindarus (Pyth. VIII u. 17 cum scholiis) Horatius (c. III IV u. 60 sqq.) Lucanus (Pharsaliae VII u. 147) Statius (Achill. I u. 487; Theb. II u. 597).

Adde artis testimonia, quae sunt praeter Gigantomachiam Pergamenam (*Vorläufiger Bericht* I p. 61) et Delphicam — nam in Gigantomachia templi Delphici, cuius memoria exstat apud Euripidem in Ione (u. 206 sqq.), deorum cum Gigantibus pugnantium in numero ipsum Apollinem aedis dominum non fuisse prorsus incredibile est — praeter haec artis plasticae documenta uascula picta exstant, de quibus uide Ouerbeckium l. c. p. 373. addenda sunt eadem quae supra uasa.

Omnibus autem praeter Iouem et Mineruam deis in Gigantomachia frequentior fuit Neptunus. de quo uide Apollodori bibliothecam I 6, 2, 4; Claudiani Gigantomachiam graecam u. 55 sqq., latinam u. 53 sqq.; Pausaniam I II 4; uascula apud Ouerbeckium l. c. p. 354 et p. 372 (quibus adde uas Melium identidem commemoratum, in quo eques pictus est, ut fuit statua de qua Pausanias l. c.). quem cur omiserit Horatius, probata Pluessii de carminis tempore sententia (*Horazstudien* p. 115 sqq.) apparet ratio grauissima. Neptuni enim imitationem prae se tulerat Sextus Pompeius, de quo uictoriam Octauiani hoc carmine celebrabat Horatius (u. Appiani bell. ciu. V c. 100; Horatii epod. IX u. 7 al.).

13 (ad p. 33) Mommsen, *Gesch. d. Röm. Münzwesens* p. 540, 137 coll. p. 475; Cohen, *Méd. consulaires* p. 110 t. XIV *Cornelia* 1. = Müller-Wieseler, *D. d. a. K.* II 35. Ouerbeck, *Kunstmythologie des Zeus*, tab. monet. V 11.

III

1 (ad p. 37) Vide inscriptiones Corp. inscr. Att. II n. 323 (coll. Wachsmuth, *Historische Zeitschrift* X 1863 p. 1—18; Dittenberger, *Hermes* II p. 298 sq.) et *Bulletin de correspond. hellénique* V 1881 p. 303 sq., ubi legitur Chiorum decretum Delphis nuper repertum. cf. Wescher-Foucart, *Inscriptions de Delphes* p. 4 sqq. 2, n. 3—6 (*Inscriptions relatives aux jeux appelés* Σωτήρια).

2 (ad p. 38) Βακχικὰ ἔπη composuerat Theolytus Methymnaeus (Athen. VII p. 296a), quae duorum aut plurium librorum fuisse constat (Athen. XI p 470 b). Theolytus autem Apollonio Rhodio aetate fuit superior (Schol. Apollon. Argon. I u. 623 cf. Weichert, *Leben des Apollonius* p. 258 sq.) cf. Rohde, *der griechische Roman* p. 131, 3. Neoptolemum porro Parianum Διονυσιάδα, epicum procul dubio carmen, condidisse testis est Athenaeus III p. 82 d. cf. Meineke in Analectis Alexandrinis p. 357; Rohde l. c. Euphorionis denique Chalcidensis Διόνυσος exstabat, de quo uide Meinekium l. c. p. 21 Lobeckium Aglaoph. p. 558 c Bernhardyum ad Dionys. Perieg. p. 510 (qui Indicas Liberi res gestas temere huic carmini abiudicauit) Koehlerum, *Ueber die Dionysiaka des Nonnus* p. 1 Rohdium l. c. — Dionysium, qui Βασσαρικά composuit, his omnibus posteriorem fuisse constat, quo tempore fuerit nescimus. fragmenta, quae apud unum Stephanum Byzantium seruata sunt omnia, collegit post Bernhardyum (Geogr. graeci minores uol. I p. 515 sqq.) Duentzer, *die Fragmente der ep. Poesie der Griechen* II p. 88 sqq. quibus sat magna apparet inter Dionysium et Nonnum similitudo cf. Rohde l. c. p. 131, 2. Koehler l. c. p. 41 sq. p. 54 sqq. p. 62 sq. Diocletiani autem aetate Βασσαρικὰ ἤτοι Διονυσιακὰ βιβλία δ´ Soterichus scripsit teste Suida, idem carminis de Alexandro M. auctor. denique non omittendus est Iulius quidam, cuius fragmenta duo exstant apud Stobaeum (florilegii LXXIX 9 p. 454 III p. 82 Mein. et CXX 21 p. 603 IV p. 104 Mein.), Duentzer l. c. p. 113, ex carminibus sumpta quae inscripta uidentur fuisse: τὰ εἰς τὸν Διόνυσον καὶ τὴν πατρίδα (αὐτοῦ?).

3 (ad p. 40) Prosae orationis auctorum, imprimis rerum scriptorum, de mira Indorum proceritate haec potissimum exstant testimonia: Ctesiae fragm. LVII, p. 86 b ed. Mueller. — Megasthenis Indicorum epitomae 18 (F. H. Gr. II p. 404) apud Diodorum II 38. — Onesicriti fr. XXV, p. 55 b Muell. apud Plinium nat. hist. VII 2, 28 cf. 21 sq. — Arriani hist. Ind. c. XVII cf. c. I; exped. Alex. V c. 4 cf. c. 19 al.

4 (ad p. 44) Nullum praeter hanc picturam exstat in artis antiquae operibus documentum Aloidarum pugnae a Gigantibus usurpatae; nullum eiusdem rei in litteris habemus testimonium nisi apud poetas latinos praeter

Philostratum in uita Apollonii Tyanensis (V c. XVI p. 177 ed. Lips. Kays.), qui Gigantas olim fuisse non negat, sed in deorum templa eos scelera commisisse putat, οὐρανῷ δὲ, inquit, ἐπιπηδῆσαι καὶ μὴ ξυγχωρεῖν τοῖς θεοῖς ἐπ' αὐτοῦ εἶναι μανία μὲν λέγειν, μανία δὲ οἴεσθαι. nam ad impetum illum quem montibus coaceruatis fecisse dicebantur haec spectare censeo. cetera autem eiusdem rei testimonia haec sunt: Horatii carminum II XIX u. 21 sq. cf. III IV u. 49 sqq. — Aetnae pseudouergilianae u. 48 sqq. Ciris u. 34 sq. — Ouidii metamorph. I u. 151 sqq. Fastorum V u. 39 sqq. III u. 439 sqq. ex Ponto eleg. II II u. 9 sqq. — Senecae Herculis furentis u. 981 sqq. Thyestae u. 810 sqq.; u. 1086 sqq. — Silii Italici Punicorum IX u. 308 sqq. — Incerti Hercul. Oet. u. 1157 sqq. — Seruii ad Vergilii Aen. IV u. 179 (p. 495 ed. Thilo-Hagen) — Mythograph. Vatic. I c. 11; c. 63; II c. 53.

Cf. Zingerle, *Zeitschr. f. d. oesterr. Gymnasien* XXIX 1878 p. 5 sqq. *Ouidius und sein Verhältniss etc.* I p. 118 sq. II p. 62. III p. 13.

Romanorum autem poetas eodem modo pugnantes Gigantas inuenisse apud graecos quos imitantur poetas certum est. itaque circa Alexandri M. aetatem ea quae de Oto et Ephialta antiquitus fabulabantur ad Gigantas translata esse censeo, cum ipsi Aloidae Gigantum in numero iam haberentur, ita ut uasis de quo agimus picturam antiquissimum huius rei testimonium esse appareat.

5 (ad p. 44) Fragmentorum margines aliqua ex parte congruere intercedente Renardo Kekulé mihi testatur Iulius de Petra u. cl.; idem tertium illud fragmentum, quod eiusdem uasis esse Iahnium (l. c. p. 188) et Heydemannum (*Vasensammlungen des Museo Nazionale* n. 2664) putasse miror, ab hoc uase alienum esse confirmat, id quod recte uiderat Ouerbeck, *Kunstmythologie des Zeus* p. 371.

6 (ad p. 46) Itaque ad Gigantomachiam se armat satyrus in uase prope Agrigentum reperto Petropolitano: *Vasensamml. d. k. Ermitage* n. 1274 (u. *Compte-rendu* 1867 t. VI 1 et 2. coll. p. 187 sq. p. 175. cf. Philologus uol. XXVII t. IV 5 coll. Otto Iahn p. 24); ad Gigantomachiam aduehitur silenus utre et phallo armatus stans in bigis satyris currentibus iunctis in uase Capuano apud Froehnerum, *Musées de France* t. VI coll. p. 25 sq.; nam in utroque uase cum satyris illis Liber compositus est Gigantem debellans. item ad Gigantomachiam refero omnes quotquot in uasibus superiorum temporum inueniuntur satyros armatos cf. Stephani l. c. p. 175 sq. coll. p. 170 et p. 188; Iahn, Philologi l. c. p. 23 sq. recte Iahn de his picturis disputans fabularum satyricarum commonefecit; nam satyrorum Liberi sociorum Gigantomachiam a fabulis satyricis non alienam fuisse testis est Euripides in Cyclope u. 5 sqq. fortasse satyricae fabulae ἔκσκευον πρόσωπον fuit Γίγας (Pollux IV 142). de uase figuris nigris ornato quod paucis uerbis describit Gerhard, *Auserl. Vasenb.* I p. 15, n. 23 *e* '*Zeus Athena Herakles und ein Silen gegen Giganten ausziehend*' (cf. Ouerbeck, *Kunstmythologie des Zeus* p. 346, 6 coll. p. 354), quid statuam nescio.

7 (ad p. 49) De Choerilo uide Curt. Ruf. VIII 5; Horat. epist. II 1 u. 232 sqq. II 3 (art. poet.) u. 357 sq. cum scholiis. cf. Naeke, Choerili Samii quae supersunt p. 37 sqq. uide infra s. Anaximene.

De Cleone u. Curt. Ruf. VIII 5.

De Agide u. Curt. Ruf. VIII 5: *Agis quidam Argiuus pessimorum carminum post Choerilum conditor.* Arriani exped. Alex. IV 9, 9 Plut. πῶς ἄν τις διακρίνειε τὸν κόλακα τοῦ φίλου c. 18 p. 60 B sq.

De Anaximene uide praeter Pausaniam VI XVIII 3 scriptorem Epicureum περὶ ποιημάτων, uol. Hercul. coll. alt. t. VI f. 174 (quem locum mihi suppeditauit Vsener), ubi cum Choerilo componitur, malus scilicet epicus poeta, opponitur Homero: ὑπολάμβανε κ[ατ]ὰ [τ]ὸ συνέχ[ο]ν καὶ κυ[ρι]ώτα[τον] τῶν ἐμ πο[ιη]τ[ι]κ[ῆι] δ[ια]φέρειν Χοιρί[λ]ον κ[αὶ] Ἀναξιμένην Ὁμήρο[υ], καὶ Καρκίνον καὶ Κλε[αί]νετο[ν Ε]ὐρειπίδου καὶ τοὺς ἄλ[λους] τοὺς πονηροὺς ἐν ποιητικῆι [τ]ῶ[ν] ἀρ[ίστων].

De Aeschrione u. Suid s. u.; Tzetz. Chil. VIII u. 398 sqq. — Quo ore hi omnes regis comites Alexandri res gestas celebrarint melius perspiciet si quis memor erit, quomodo ei qui rerum scriptorum non poetarum nomen prae se ferrent a uero aberrauerint cf. Luciani πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν cap. XII coll. Droysen, *Gesch. d. Hellenismus* I 2 p. 377 sq.

8 (ad p. 49) Neque enim Porus ceterique quos bello superauit Alexander cum Gigantibus comparantur — quamquam laudatur Pori proceritas III c. IV p. 98 b — sed homines quidam feri corporumque magnitudine terribiles siluarum incolae. duo potissimum exstant de Alexandro cum eiusmodi monstris pugnante narratiunculae. quae quamquam in codice A (Parisino 1711), antiquissimae, Alexandrinae scilicet, recensionis quae dicitur exemplo (u. Zacher, *Pseudocallisthenes* p. 12 sq.), non leguntur, non pro infimae aetatis uanis commentis habendae sunt. multa enim ex iis quae adduntur in codice C (Parisino suppl. 113) ceterisque de miris in India rebus gestis (cf. Zacher l. c. p. 13), ut epistulis tradita, quae ante ipsius historiae compositionem circumferebantur, satis antiqua uidentur esse (cf. Rohde, *der griechische Roman*, p. 186 sqq., ubi ea qua locus noster continetur epistula commemoratur p. 189 in adnotatione sub 4). inuenit Alexander in silua quae uocatur Ἀνάφαντος (? *accia* Leonis uersio latina et Lambertus monachus) homines uiginti quattuor cubitorum, quos clamore et tubarum cantu fugant: l. III c. XXXII p. 86 ed. Muell. (codd. BC); p. 760 ed. Meusel in annal. philol. supplem. uol. V 1871 (cod. L). qui homines in historia quae uocatur de preliis, Leonis scilicet cuiusdam archipresbyteri uersione latina (cf. Zacher l. c. p. 108 sqq.), propter corporum magnitudinem cum Gigantibus comparantur aut Gigantes ipsi fortasse appellantur. legimus enim in editionibus quae Argentinae prodierunt annis d. 1486 et 1494 — nam ceterarum quae Argentinae Traiecti Coloniae Romae emissae sunt editionum aut librorum manuscriptorum copia mihi non fuit, duas illas in bibliotheca Georgiae Augustae asseruatas inspexit amicus a me rogatus — legimus haec: *deinde amoto exercitu pervenit in campum qui dicitur*

adzea (*qui dicitur accia* ed. Zacher l. c. p. 137 ex cod. Monacensi) *et castra metatus est ibi. erat autem in circuitu illius silua condensa ex arboribus fructiferis, ex quibus nutriebantur homines agrestes habitantes in eadem silua, quorum corpora erant maxima ut gigantium et induta pelliceis uestimentis. hi cum uiderent exercitum Alexandri mirati sunt ualde*' etc. Lambertus autem monachus ille poeta saeculi XII germanicus, qui uersionem latinam Leonis diligenter expressisse manifestus est (cf. Zacher l. c. p. 110), hunc locum his uerbis reddidit (u. 4916 sqq. ed. Weismann):

ûf den boumen wôhs alliz daz,
daz daz lantlût az,
dâ si sih mite nereten,
di uns daz lant wereten,
di wâren ummâzlîchen grâz.
owî, wi starke unz der verdrôz!
wandiz wâren gigande
unde trûgen an ir hande
stahelîne stangen
unde quâmen uns zô gegangen
vil unfridelîche etc.

Lamberto igitur Gigantes ipsi sunt, non solum similes Gigantum. utrum ipse uerba Leonis per poetam francogallicum tradita aut immutata acceperit aut immutauerit an fuerint uersionis latinae exempla quibus aliis uerbis cum Gigantibus homines illi componerentur nec dici potest nec quaerendo dignum est. ceterum paene incorrupta per tot uersiones uerba tradita esse colligere posse mihi uideor ex eo quod in graeco cod. C. p. 86a. ὁ δὲ Ἀλέξανδρος λίαν ἐλυπήθη ἰδὼν τοιαῦτα ζῷα, apud Lambertum: '*owî, wi starke uns der verdrôz!*', id quod casui tribuere noluerim. — in graeco deest Gigantum commemoratio.

Sequitur narratiuncula de hominibus corporum magnitudine non minus miris, quos igne terret fugatque. qui appellantur in codice Leidensi ἄνθρωποι ἄγριοι γίγασιν ὅμοιοι στρογγύλοι κ. τ. λ, in codice B ἄνθρωποι γίγασι παρεμφερεῖς τῷ μεγέθει στρογγύλοι κ. τ. λ ita ut ab hac quoque narratiuncula comparationem illam non alienam fuisse appareat.

9 (ad p. 51) Attalo I tribuendus est procul dubio nummus Pergamenus caput regis praebens cornibus tauri ornatum quem per errorem Attalo III tribuit Prokesch-Osten, *Archäologische Zeitung* 1867 p. 19 cf. t. CCXVIII 5. — contra Attalo abiudicandus est nummus quem uides ibid. t. CCXVIII 3, de quo incredibilia commentus est Prokesch; nam Antiochi cuiusdam Seleucidae Syriae regis est, VI fortasse, quem Liberi imitationem prae se tulisse constat.

VITA SCRIPTORIS

Natus sum Ferdinandus Carolus Ernestus Fridericus Koepp Biburci Nassouiensium oppido ad Rhenum sito a. d. III non. febr. anni h. s. LX patre Ferdinando medicô, matre Carolina e gente Rueckert. puerulum uix tres annos natum patre optimo me orbauit fatum acerbissimum. cuius memoria a matre dilectissima fota inhaeret animo semperque inhaerebit.

Anno h. s. LXIX scholam adii quae regentibus Kuenklero et Burkarto, uiris de me optime meritis, in oppido patrio florebat floretque. quorum uirorum egregia disciplina institutus autumno anni LXXV receptus sum in gymnasium quod est Aquis Mattiacis. tum maturitatis testimonio instructus uere anni LXXVIII hanc almam studiorum sedem Rhenanam adii philologiae et archaeologiae operam nauaturus. ac magnae fuit fortunae quod Hermanni Vsener inde a primis studiorum meorum initiis consilio adhortatione auxilio frui mihi contigit,

ὅς με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ

quem ego patris loco ueneror ueneraborque dum uiuam.

Post sexiens sex menses Gottingam migraui, ubi Caroli Dilthey, uiri carissimi, et scholis uterer et consuetudine iucundissima fere cotidiana. uere anni LXXXII Bonnam redii quippe cui magistrorum et amicorum Bonnensium inhaereret desiderium. docuerunt me uiri clarissimi Bernays Buecheler Furtwaengler Iusti Kekulé Leo Nasse Schaefer Vsener Bonnenses, Bruns Dilthey Koerte Sauppe Schmarsow Volquardsen Gottingenses; exercitationibus ut interessem benigne concesserunt epigraphicis et philologis Buecheler Bruns, archaeologis Kekulé Koerte, Vasa-

rianis Schmarsow. Buecheleri et Vseneri egregia beneuolentia factum est ut in seminarium regium philologorum reciperer, cuius disciplina seuera sanaque per bis sex menses fructus sum sodalis ordinarius. quorum uirorum memoriam pio semper gratoque animo colam. nihil autem habeo antiquius, quam ut eorum uirorum qui prae ceteris beneuolentia me deuinxerunt beneficiis obruerunt — Buecheleri Diltheyi Kekuléi Vseneri — disciplina non indignum me praestem aliquando.

SENTENTIAE CONTROVERSAE

I

Platonis rei publicae II c. XIV p. 373 E: ἀλλὰ τοσοῦτον μόνον (scil. λέγωμεν), ὅτι πολέμου αὖ γένεσιν εὑρήκαμεν, ἐξ ὧν (i. e. ἐκ τούτων ἐξ ὧν) μάλιστα ταῖς πόλεσι καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ κακὰ. γίγνεται, ὅταν γίγνηται ex tonsoribus coquis nutricibus ceterisque qui enumerantur p. 373 C. et belli originem et omnia ciuium publica priuataque mala ducenda esse iocose dicit Socrates.

II

Inscriptio Pergamena inuentarii prioris centesima (*Die Ergebnisse der Ausgrabungen zu Pergamon. Vorläufiger Bericht I* p. 81) sic restituenda est:

ἀπὸ τῆς ἐν ΦρΥΓΙΑΙΤΗΙΕΦΕΛΛΗΣ
πόντωι πρὸς ΑΝΤΙΟΧΟΝΜΑΧΗΣ

III

Herodiani hist. ab excessu Diui Marci V 1, 1 (p. 125 ed. Bekker) scribendum est: ἥ τε Μακρίνου ἐπιβουλὴ καὶ διαδοχή. editur πρὸ τούτου. quae uerba ex iis quae supra leguntur per errorem librarii repetita nomen Macrini obscurauerunt.

IV

Ibid. VI 6, 3 (p. 155 ed. Bekker) scribendum est: νόσῳ λιμῷ κρύει. editur πολέμῳ. cf. Aeli Lampridi uit. Alex. Seueri c. 57, 3 (I p. 269 ed. Peter).

V

Aeli Spartiani uit. Pescenni Nigri c. 6, 7 (I p. 148 ed. Peter) legendum est: denique etiam sacra quaedam in Gallia *quae*

castissimis decernunt, consensu publico celebranda suscepit. — traditur *qua se*; ed. pr. Mediolan. *quae a* castissimis decernunt*ur*.

VI

Iuli Capitolini uit. Maximi et Balbini c. 2, 7 (II p. 54 ed. Peter) scribe: Maximum igitur et Balbinum, quorum unus in re militari tantus est ut nobilitatem generis splendore uirtutis *euexerit* etc. — traditur *ei lexerit*.

VII

Addendum lexicis graecis: Λυκαονία *Lucania*, u. Claudiani Gig. gr. u. 73. cf. Iul. Valerium p. 30[a] ed. Muell., Pseudo-Callisthen. I c. 29 cod. A. p. 31 ed. Muell.

VIII

Antiochus I Soter, rex Syriae, ipsa illa pugna apud Sardes commissa qua ab Eumene I rege Pergami Gallisque sociis eius deuictus est, a Centoarata Gallo occisus est.

IX

Attalus III, rex Pergami, Attali qui patruus eius esse uulgo et credebatur et creditur ex Stratonica Eumenis regis etiamtum uxore filius fuit.

X

Quae de equo Diui Iuli tradit Suetonius c. 61 ad Alexandri Magni imitationem spectant.

XI

Godofredi Hermanni epistula a Belgero edita in libro qui inscribitur *Moriz Haupt als academischer Lehrer* (Berlin 1879) p. 21 sq. ad Ioannem Paulum de Falkenstein missa est.